SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id398298017/1
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

Antiquit: Hebr: 56.

1754.
h. Eccl:

56

JOACHIMI HILDEBRANDI
S. Theol. D. & Ducatus Lüneburgici ejusque Comitatuum ſupremi Superintendentis

ANTIQVITATES

Ex univerſa Scriptura S. ſelectæ & ſecundum ordinem Librorum V. & N. T. adornatæ.

Quales olim in Acad. Julia ex ore dictantis ab Auditoribus exceptæ; nunc demum in uſum omnium qui Scripturarum ſtudio delectantur, in lucem editæ,

Quæ præſertim S. S. Theologiæ Cultoribus instar compendioſæ in Exegeſi Bibliothecæ eſſe queant.

HELMESTADII,
Typis & ſumtibus GEORG-WOLFGANGI HAMMII,
Acad. Typogr. Anno 1700.

ANTIQVI-
TATES

B. LECTORI
S. D.

CHRISTOPHORVS HENRICVS RITMEIER
Gr. L. Prof. P. O.

QVi accuratiore ſtudio ſacras Literas legere & interpretari ſuſcipiat, ei præter alia multa adminicula Antiquitatum cognitionem apprime eſſe utilem atq; neceſſariam, citra prolixam demonſtrationem haud difficulter intelligimus. Scriptura enim, dum res geſtas breviter narrat, multa ſupponit, multa omittit, illo tempore quo n literas relata, illi genti, cui primùm propoſita, abunde nota. Quomodo ferè ſi quis hiſtoriographus ſuæ gentis hiſtoriam conte-xat, officiorum forte aut conſvetudinum quarundam meminerit; non interrumpet, opinor, hiſtoriæ filum & ad deſcribenda officia aut conſvetudines illas digredietur. Quorſum enim populares ſuos de iſtiusmodi rebus inſtrueret, quæ ad patrios ritus ſpectant, quæque iisdem ignota eſſe haud poſſunt? At ſi exterorum aliquis ad cognoſcendam hiſtoriam illam animum applicet, & conſvetudines ac ritus,

quorum ibi mentionem fieri deprehendit, plenius intelligere velit, aliunde hæc omnia discat oportet, & illos autores consulat, quibus eadem exacte & prolixe tradere propositum fuit. Non aliam certe ob causam in Romana historia plus fere è Græcis Autoribus quam è Romanis se colligere Viri docti fatentur, quam quia exteri mores & instituta publica exactius describunt. Nobis ergo, qui in Oriente, in Judæorum Regione & historia peregrini & hospites sumus, aliunde quam ex ipsa Scriptura Sacra, adminicula conquirenda sunt, quæ, quod illa, rebus majoris momenti omnino inventa, paucis attingit, fusius monstrent illustrentque. Ecquis enim satis percipere & dijudicare potest gesta, quæ in Scripturis narrantur, simulac neque locorum, neque personarum, nec morum rituumve, nec aliarum circumstantiarum peritia pollet? Quemadmodum sane in Romanorum historia multa nos effugiunt, quod ritus, jura & consuetudinem Romanorum non satis calleamus; ita (si magnis parva, divinis humana componere velimus) in Scriptura S. quin multa nobis perplexa & obscura videantur, quæ accuratiore Antiquitatum cognitione haud difficulter solvantur, nullum est dubium. Quam multa occurrunt

Orienta-

Orientaliũ populorum indoli, temperamento moribusque convenientia? quæ, ubi ex noſtrorum hominum qui Occidentis oras incolimus, cenſere velis, non poſſunt non mira, inepta falſaque videri. Igitur Judæorum Ritus imprimis noſſe & perſpicere debet, qui in V. & N. Teſtamento recte intelligendo proficere velit. Quod quidem uno ore fatentur Philologi & Scripturarum interpretes, quos ætas tulit, doctiſſimi, ſuoque exemplo comprobant & perſuadent. Audiamus nunc ſaltem Cl. Caſauboni judicium, qui ad Scaligerum, *non dubito*, ſcribit, *multa in ſacris literis ex Iudæorum ſcriptis poſſe atq; debere illuſtrari.* Nec difficile eſt arbitratu, quid ipſum aliosque Viros doctos moverit, ut ita ſentirent. Judæi quippe docti & in lege patria exercitati, quæ à Majoribus acceperunt, quæque uſu ipſo frequentarunt, omnium optime nos edocere valent.

Quorum traditionibus eo minus carere poſſumus, quo frequentius Moſen & Prophetas, ſimulac mores Iſraelitarum cultumque divinum collapſum arguunt, ad eorum ritus & inſtituta digitum intendunt. Nec diſpar eſt ratio N. Teſtamenti. In quo ſicuti rationem ſtyli & formulas illis temporibus Judæis uſitatas; ita etiam in doctrina haud obſcuram

Legis cum Evangelio, Mosis cum Christo comparationem deprehendimus. Quemadmodum ergo utriusque Ecclesiæ Antiquitatum cognitio Exegetæ necessaria est; ita non minus Veterum Gentilium monumenta sedulo excutere debet, quæque ad obscuriorum locorum illustrationem sæpe multum faciunt, inde arcessere. *Nam & in sacra historia*, J. Lipsius ait, Epistolic. Quæst. L. III. Ep. 19. *multa esse, quorum penitior intelligentia pendeat à moribus & literis antiquis, nemo negabit.* In quibus feliciter eruendis & ad res sacras accommodandis, tanto plus laboris, eruditionis & prudentiæ adhibendum esse intelligimus, quo majori difficultate hanc rem obseptam vidimus. *Quotusquisq; est nostrum*, merito dixerim cum Cl. Casaubono, *qui par sit tanto incepto?* uti verbis supra adductis statim subjungit. Maximam ergo, Viris doctis debebimus gratiam, qui viam hic nobis præire probeque munire sategerunt. Quorum celeberrima nomina sicuti omnis ætas venerabitur, ita in iis suo merito & jure eminet, B. noster *D. J. HILDEBRANDUS*, Theologus, de cujus laudibus & in Ecclesiam Dei nostramque Academiam meritis multa recenseri possent, si hujus loci institutique res foret.

Id

Id tamen quam maxime in ejus laudibus poni fas erit, quod solidam eruditionem suam & ἀπάσης ἀρχαιολογίας peritiam, rebus divinis & Scripturæ S. illustrationi inservire voluerit, fidelissimeque adhibuerit. Quod quidem quam felici fecerit successu, præter alia ejus monumenta, præsens loquitur liber, *Selectas Antiquitates Biblicas* exhibens, prout scilicet ab ejus Auditoribus olim, cum in Academia hac Julia sacrar. Antiqq. Professione fungeretur, ex ore dictantis sunt exceptæ. Quarum exemplum ante aliquot annos nactus Typographus noster, pro suo publicum rei literariæ commodum promovendi studio indefesso, editionem ejus, à multis desideratam, pridem molitus est. Quam dum perficere nunc demum ipsi licuit, veniam à Benigno Lectore se consecuturum sperat, si forte emendanda nonnulla in ea remanserint. Scias enim, Benev. Lector, MStum obtigisse Bibliopolæ huic nostro mendis quamplurimis & lacunis, (ut fieri solet ob celerem in diatribis Academicis scriptionem) passim scatens. In quibus delendis & corrigendis sæpe molestæ operæ haud parum insumtum fuit, præsertim quod nullum accuratius scriptum exemplar adfuerit, ex cujus collatione defectus illius suppleri potuissent. Ne-

que

que vero hæc fœtus Hildebrandiani editio publico ingrata erit, unde tanta in omnes ſacrarum Literarum Cultores redundatura eſt utiliias. Quam quidem multis hic oſtendere & commendare opus minime erit. Sentient abunde Lectores quantum lumẽ Antiquitatis cognitio ſacris ſtudiis afferat, quamque neceſſaria eadem ſit ad divina Oracula, Acta & ſcripta Apoſtolica liquido explicanda. Reperient hic quaſi in compendio, quæ, ubi non fruſtra apud alios quærant, certe multo labore evolvere & conquirere deberent. Nec minus gratum fuerit, in plerisque locis dubiis & obſcuris, ἐπίχειση à B. Autore, pro limatiſſimo ſuo ſolidaq; eruditione ſubacto judicio, hic videre ſubjunctam. Nam & in ſacris ſæpe

Σοὶ μὲν ταῦτα δοκεῖν' ἐστίν, ἐμοὶ δὲ τάδε
Hæc tibi videntur, illa vero mihi.

Tu vero, Candide Lector, utere his in Dei gloriam & tuam aliorumque ædificationem. Diſce in omnibus ad corticem Scripturæ ſpectantibus ita verſari, ne illi unice inhæreas, ſed ipſum nucleum, quem pauci inter eos qui ſacra ſtudia tractant ſatis attingunt, invenias, eumque vere deguſtes. Vale, Scrib. in Acad. Jul. XI. Cal. Maj. A. MDCC.

I. N. I.

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id398298017/10 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

I. N. I.

LIBER I.

De

Antiquitatibus in V. T. repertis

Procœmium

De

DIVISIONE SACRÆ SCRIPTVRÆ.

§. 1.

ANtiquiſſima eſt Scripturæ Sacræ diviſio, quâ Iudæi in hunc usque diem utuntur, dum Vetus Teſtamentum in tres Claſſes diſtribuunt, quarum Prima dicitur Pentateuchos, תורה & libros quinque Moſis Legis Moſaicæ complectitur: Licet enim Moſes non minus, quam cæteri Viri θεόπνευστοι Propheta fuerit, imo magni illius Prophetæ Typus, Deut. XV, 15. Ebræi tamen ob duas rationes Moſen à reliquis Prophetis diſcernunt: (1) Ideo, quod Moſes fuerit internuncius & quaſi Mediator inter Deum & Iſraelitas. (2) Quod Moſi non tàm prophetarum quam Leges promulgandi munus commiſſum ſit.

§. 2. Secunda classis librorum S. Scripturæ continet נביאים h. e. Prophetas, quos Judæi in Priores & Posteriores subdividunt. Sunt autem libri octo, e quibus quatuor prioribus Prophetis tribuuntur quales sunt liber, (1) Josuæ (2) Judicum, cujus appendix libellus Ruth (3) Samuelis (4) Regum reliquos quatuor posterioribus Prophetis tribuunt. Sunt autem Esaias, Jeremias, Ezechiel, liber duodecim. Ita enim vocant Prophetas, perinde ut Romani leges XII. vocabant leges duodecim tabularum.

§. 3. Tertia classis complectitur כתובים græc. Hagiographa, hæc vero apud Judæos libris XI. constant, quorum primum Psalmi constituunt tres alios, Salomonis Proverbia, Ecclesiastes & Canticum, Hiob, Daniel, Esra, cum Nehemia, Esther & Verba dierum (vel annales Ebræorum) Chronicon, quod est breviarium propagati à mundi primordio, posterorum Abrahami usque ad David & hinc porro ad solutam captivitatem Babylonicam. Hinc eleganter *Chronicon* illud S. Hieronymus *Epitomen V. T.* appellat in Epist. ad Paulin. Refert hanc tripartitam divisionem S. Sacræ Josephus antiquitatum Judaicarum peritissimus scriptor libro I. contra Appionem.

§. 4. Quid? Hæc divisio jam Christi ævo inter Judæos obtinuit, & quod magis mireris, ab ipso Salvatore approbata videtur. Ita enim Christus Luc. XXIV, 6. *Oportet*, inquit, *omnia impleri, quæ scripta sunt: primo in lege Mosis, secundo in Prophetis, tertio in Psalmis:* quô nomine Hagiographa intelligit: nam inter hæc Psalmi eminent. Ex synagoga hæc S. Scripturæ distributio in Ecclesiam transiit, hinc August: *Synagogam* eleganter vocat *scriniariam Ecclesiæ, & Judæos capsarios nostros, qui Christianis studere volentibus libros & Sacros codices apportent;* Item *librarios Christianorum.* Sicut enim apud Romanos servi

post

poſt Dominos ibant & Codices ferebant; Ita Judæi Chriſtianis poſtpoſiti canonis Biblici, hodie cuſtodes. Hinc antiquiſſimi Doctores Eccleſiæ nec plures nec pauciores quàm Judæi h. e. XXII. libros quot nempe Ebræos ſunt literæ in Canone V. T. agnoſcunt. Unus inſtar omnium Gregor. Nazianz. eſt, qui carmine de genuinis libris ſcripturæ ita ſcribit:

Fœderis antiqui viginti ſunt duo libri
Et ſunt Ebræis litterulæ totidem.

Præter hos tres ordines in quos ex veteri inſtituto Judæi Canonem V. T. diſtribuunt, datur quartus ordo librorum V. T. eorum ſcilicet quos eccleſiaſticos vocant, ideo quod ſint libri morales in V. Eccleſia & populo præſertim, aut catechuminis, ad ſanctos mores conformandis, publicè prælecti. Tales ſunt Syrach; Sapientia, Judith, Tobias, libri Maccabæorum & quos hodie Apocryphos dicimus. Ubi tamen Studioſi ſacrarum antiquitatum obſervarunt in V. Eccleſia inter libros Eccleſiaſticos & Apocryphos ingens diſcrimen fuiſſe. Nam Eccleſiaſtici vocabantur, qui ad ædificationem plebis in eccleſia legi merebantur; Verum Apocryphi erant libri pernicioſi lectuque indigni, quos vel Hæretici conſcripſerunt, vel a Catholicis Hæretici corruperant, nec non venena ſua ſub titulo S. Scripturæ miſcuerant. Adeoque Apocryphi vocabantur, quod ſatius eſſet, illos abſcondi, quàm legi. Tales in N. T. erant liber de infantia Chriſti, itinerarium Petri, Evangelium Thomæ &c. Juxta hanc partitionem ſcripturæ S. nos antiquitates in duos libellos diſtribuimus, quorum *Prior ex V. T. Poſterior ex N. T.* ſelectiſſimas antiquitates oſten-

det, & prior quidem iterum in *quatuor Sectiones* subdividetur, quarum *prima* ex *Pentateucho*, *secunda* ex *Prophetis*, *tertia* ex *Hagiographis*, & *quarta* ex *libris Ecclesiasticis* antiquitates exponet.

LIBER PRIMUS.
Antiquitatum Veteris Testamenti.
SECTIO I.
Antiquitatum ex Pentateucho.
PACTA.

§. 1.

MErito has sacras antiquitates ob duas rationes à pactis ordior 1. Quia hæc doctrina per universam S. Scripturam se diffundit, tota enim scriptura in V. & N. Testamentum h. e. duo Pacta dividitur. Hinc quoties vulgatus interpres Testamentum reddidit in ipso fonte vox pacti habetur. Testamentum enim immortalis Deus qui Ecclesiæ suæ præsentissimus proprie non condidit, condit autem ille testamentum, cum moriendi necessitas incumbit, propter quam familiæ suæ non semper interesse potest. Itaque V. & N. Test. rectius duo pacta vocantur, quemadmodum Salvator etiam καινῆς Διαθήκης Novi Pacti Mediator appellatur Ebr. XII. 24. Posterior ratio ob quam à Pactis ordior hanc est, quia primum negotium, quod à creatione Deo cum hominibus intercessit, pactum fuit.

§. 2. Pactum in rigore sic dictum inter Deum & Hominem proprie nullum est. Nam ut egregie docet Ethic. Anrist. συναλλάγματα vel pacta proprie inter æqua-

les

les fieri, sed inter Deum & hominem proportio nulla imò distantia infinita, eò tamen non obstante misericordissimus Deus pro immensa φιλανθρωπία sua cum rebus à se creatis præsertim cum miseris hominibus per quendam quasi condescensum græce συνκατάβασιν pacta fieri non dubitat. Hinc expresse Gen. IX. 13. Deus cum Noacho pactum iniisse legitur de mundo, per diluvium nunquam evertendo, cujus pacti gratia sua signum iridem in nubibus constituit, ex quô Noachi pacto regula Theologorum nata est. Quoties in sacris literis promissio habet additum signum, toties est pactum. Hinc dicitur arca fœderis, item tabula fœderis, quod hæc tabula & illa arca essent signa divini fœderis cum hominibus initi. Interim non nego, interdum nudas promissiones inter Deum & hominem ultrò citróque factas, sine addito signo pacta vocari, ut proinde regulam illam Theologicam non liceat simpliciter convertere.

§. 3. Dividuntur autem Dei pacta cum hominibus inita in legale & evangelicum. Legale iterum est vel absolutum & mixtum. *Legale absol.* est primum illud pactum, quod Deus cum homine ad imaginem suam creato in statu innocentiæ pepegit. In quo pacto hominibus temperariam & æternam felicitatem, juxta ac immortalem vitam svaviter promiserat; Homo vicissim Deo divinæ legis observantiam præsertim quod de fructu unius in paradiso arboris comedere nollet, sanctè promiserat. Pactum hoc erat purum pactum legale, quia nihil Evangelici, nihil de Christo habuit admixtum. Sed. *Pactum legale absolutum.*

Pactum legale mixtum est quod Deus cum homine lapso sed in gratiam recipiendo instauravit, ex quo pacto homo observantiam divinæ legis promisit. Sed primarium pacti hujus caput erat fides in Messiam, quæ quia huic

pacto fuit admixta, cum antea non adeſſet, Theologi quidam pactum legale mixtum appellant.

Pactum evangelicum vel in V. vel N.

§. 4. Pacto legali Evangelicum ſuccedit quod in V. & N. dividitur, ubi notandus eſt vulgaris error eorum, qui cum S. Scriptura in V. & N. Teſtamentum vel in duo pacta diſpeſcitur exiſtimant, hoc perinde eſſe ac ſi ſcriptura in legem & evangelium dividatur, ſed hi errant. Nam ſub veteri illo pacto non lex tantum viguit, ſed & evangelii doctrina eademque fides in Chriſto (licet obſcurius tradita) per quam hodie ſalvamus hinc eleganter ad Ebræos X, Meritum Chriſti ſangvis æterni pacti dicitur. Porro pactum vetus in nudum & veſtitum dividi ſolet. Veſtitum iterum in duo alia Abrahamicum & Moſaicum. Pactum nudum definitur quod nude ſine ceremoniis ſive ſolennibus fuit promulgatum, tale fuit pactum primum poſt lapſum Gen. III. ſemen mulieris conteret caput ſerpentis v. 15.

Pactum Vetus vel nudum vel veſtitum. Nudum.

Veſtitum eſt vel Abrahã vel Moſaic. Abrahamicum.

§. 5. Pactum veſtitum definitur cui varia ſolennia & ſolennitates fuerunt annexa, talia ſunt imprimis duo Abrahamicum & Moſaicum. De Abrahamico obſervandum eſt quod Deus hoc ipſum quatuor modis innuit 1. nude promittendo quaſi eſſet pactum nudum Gen. XII. 3. in te benedicentur omnes gentes. 2. Promiſſioni huic varias ceremonias præſertim diſſectionem animalium juxta promiſſionem terræ Canaan addendo Gen. XV. 3. inſtituendo circumciſionem, de qua Deus expreſſe ait: hæc ſit ſignum fœderis mei inter me & vos Gen. XVII. 10. & denique 4. rem omnem per ſolenne juramentum confirmando. Jurabat enim Deus per ſe quod excelſior non eſſet per quam juraret. Notari in pacto illo Abrahamico præſertim circa modum meretur antiquiſſima conſvetudo ſanciendorum fœderum. Solebant enim orientales pacta inituri

Modus veterũ in fœderibus faciendis.

turi animal occidere idque in duas partes dividere, postea cum singulis qui fœdus inibant per hæc animalis segmenta transire, cumque ritu sibimet ipsis similem exitum precabantur, si difragi fierent, dicebant enim: faxit Deus, nisi fœdus servabo, ut & ego in partes discerpar, perinde ut & hoc animal disceptum jam est. Hinc in sacris legitur dissecare fœdus quod non significat violare vel solvere fœdus ut vulgò errant, sed significat ferire fœdus, quia fœdus inituri porcum silice feriebant, de quo Romanorum ritu videatur Liv. Sed mos ille Orientalium dissecandi animal cum fœdus inirent facillimum intellectu reddit difficilem locum. Ego faciam viros qui fœdus meum viclant similes vitulo, quem in partes secuerunt & per segmenta transierunt Jer. XXXIV. 18. Eundem morem dissectionis animalium in pacto Abrahamico Deus Gen. XV. observat. Jubet enim dicto loco Abrahamum Deus, ut animalia diffindat & per segmenta transeat. Sed ô admirandam Dei Φιλανθρωπίαν! Nam cum Abraham transiit ipse quoque Deus per segmenta ista transiit, ejus transitus erat symbolum Clibanus fumax, perinde hoc est quasi Deus dixisset. Ego in partes discerpi malo quam non servare pactum cum Abrahamo, vid. Theod. super hunc l.

quid phrasis dissecare fœdus sit.

§. 6. Alterum pactum vetus idque vestitum est Mosaicum quod Deus post exitum ex Ægypto cum Israelitis in deserto pepegit, mediante Mose. Sub hoc pacto tradita est Lex Tripartita 1. *Moralis* Decalogo comprehensa 2. *Ceremon.* Sacrorum ritus variosque Typos N.T. complectens. 3. *Forensis* quod in populo Dei θεοκρατία fuit fundata. Sed in Mosaico sunt splendidæ & propter antiquitatem venerabiles, ceremoniæ, quibus hoc pactum fuit sancitum 1. *Mons Sinai* undique consecrabatur densis nebulis ac nubibus involvebatur, adeo ut totus fumigaret, audie-

Pactum vetus vestitum Mosaicũ.

Solennitates in hoc pacto adhibitæ.

1.

audiebantur tonitrua, ſpectabantur fulgura, nec præter Moſen ulli mortalium innoxius patuit ad illum acceſſus
2. 2. *Ad pedes montis* altare erat inſtructum, more Principum. Principes in confiniis ſuarum regionum fœdera
3. ferire ſolent. 3. *Altare hoc* ſuper XII. cippis vel columnis ſtabat, hæc XII. columellæ erant ſigna XII. tribuum Iſraëlis. Sed altare ipſum Deum repræſentabat adeoque indicium hoc erat Deum cum XII. tribubus Iſraëlis jam con-
4. junctum fœdus inire. 4. *Coram altari iſto* ſtabant XII. juvenes. Primogeniti Principum, quorum ſinguli vitulos in altari immolabant, quod factum videtur jure primogenituræ. Nam antequam Levitis munus ſacrificandi da-

Prærogativæ primogenitorum in populo Dei.

batur primogeniti in populo Dei tres prærogativas habebant. 1. Jus ſacrarum vel ſacrificiornm 2. Jus regni vel dominii Gen. XLIX. 2. Ruben quia primogenitus Jacobi primus in ſacris dicitur, primus in regno tertia prærog. erat quod duplam hereditatis portionem acciperent. Hinc Eliſa quaſi Primogenitus Eliæ Spiritum S. ſibi in duplo conferri petiit. Ex his jam ratio conſtat quare primoge-
5. niti in pacto Moſaico immolaverint. 5. *Solennitas pacti Moſaici* erat, quod Moſes ſangvinem e victimis eductum in duas partes diviſerit, quarum alteram ſuper altare ſparſit, perinde ac ſi ipſe Deus ſangvine conſpergendus & ad fœderis obſervationem obligandus eſſet, partem vero alteram latâ lege ſuper univerſum populum ſparſit hâc formulâ: Hic eſt ſanguis fœderis quod vobiscum Dominus hodie pepegit & tantum de pacto veteri.

Pactñ N.

§. 7. Quid ſit pactum novum, rectiſſime cognoſcitur ſi duo illa pacta vetus & novum invicem conferantur

Differentia V. & N. Pacti.

& quid inter utrumque diſcriminis ſit probe notetur. Differunt autem hæc pacta vetus & novum octifariam 1. tempore. Nam alterum priſco ævo, alterum noviſſimis temporibus

poribus fuit ſancitum. 2. *Loco.* Nam pactum vetus in monte Sinai cœpit, ſed Novum de Monte Sion exiit. 3. *Effectu.* Nam Vetus pactum literam occidentem continet, ſed Novum eſt Spiritus vivificans. 4. *Mediatore.* Nam veteris pacti Mediator erat Moſes, ſed in N. T. teſtator eſt Chriſtus. 5. *Promiſſionibus.* Nam in Vet. pacto non æterna tantum, ſed & temporaria felicitas veluti corollarium æternæ beatitudinis piis erat promiſſa, qualis Promiſſio in novo non eſt. 6. *Materia ſcriptionum.* Nam Vetus pactum in tabulis lapideis vel ſaxeis, ſed Novum in cordibus fidelium eſt ſcriptum. 7. *Duratione.* Nam Vetus pactum dudum deſiit, excepta Lege Morali, ſed Novum eſt ſempiternum, unde Chriſtus æterni pacti Mediator dicitur. 8. denique *Dedicatione.* Nam Vetus pactum mactatis XII. vitulis, ſed novum ipſius Dei filii, pretioſo ſangvine fuit ſancitum, ubi digna obſervatu eſt nota Maldonati acerrimi alias Jeſuitæ, qui ſuper verba Inſtit. ita commentatur: Solenne erat gentibus fœdera cæſis victimis inire, imo interdum venas diffindere, ſangvinem inde elicere, eumque vino mixtum ſibi invicem propinare ſolebant. Eundem morem obſervavit Chriſtus cum N. Pactum conderet. Nam in Euchariſtia ſuum ipſius ſanguinem vino benedicto quaſi mixtum in confirmationem N. pacti Apoſtolis ſuis & per hos toti Eccleſiæ propinavit, imo in hunc usque diem propinat. Nihilominus pactum illud vetus præſertim Moſaicum eſt elegans typus pacti Novi. Nam in Moſaico pacto Moſes Chriſtum, populus Judaicus Eccleſiam, & ſangvis vitulorum ſuper populum ſparſus ſangvinem Chriſti, repræſentavit. Atq; hinc eſt quod Salvator cum N. T. conderet, eandem formulam adhibuit, quia Moſes pactum vetus ſancivit nimirum hanc: Hic calix N. pactum eſt: h. e. N. pacti confirmatorius. Sit de pactis.

Pactum Moſaicũ Vetus elegans Typus Novi.

ABRECH.

LEgimus Gen. XLI. 43. quod Rex Pharao Joſephum toti Ægypto præfecerit, eique præmia inſignia aureum annulum, auream torquem, candidam ex ſerico veſtem dederit, quin & in curru Regio poſitum per urbem circumduci fecerit clamante præcone ABRECH! Hanc vocem LXX. interpretes prorſus omiſerunt, forſan ideo, quod dubia & incerta ejus origo eſſet. Bened. Ariæmont. in verſione ſua nomen ABRECH retinuit, ut liberum eſſet Lectori exponere quæcunque vellet. Sunt enim de origine & ſignificatione hujus vocis diſcrepantes ſententiæ.

Diverſa diverſorum ſentent a de voce Abrech.

Alii inter quos eſt *Buxtorffius* Vir ſi quisquam alius rerum Ebraicarum maximè peritus lib. 1. Tractatus ſui cap. 17. quin & *Druſius* lib. 2. quæſt. 71. exiſtimat vocem ABRECH vocem Ægyptiacam eſſe, quâ olim Ægyptii regibus ſuis & magnatibus bene precari conſveverant, cujusmodi acclamationes apud Orientales celeberrimæ fuerunt. Exemplum habes 1 Sam. X. 24. Ubi Saule in Regem uncto populus univerſus cum jubilo clamavit VIVAT REX. Apud Chaldæos neminem Regem compellare licuit niſi ſub initium ſermonis felicia quæque Regi optaſſet, vid. Dan II. 4. Dan. III. 9. V. 10. Sic & Romanorum gratulandi forma erat FELICITER! Cui ſimilem fuiſſe putant apud Ægyptios hunc populi applauſum clamantis ABRECH. Alii hanc vocem ab Ebræis derivant & quidem a voce אב & רך i. e. tener, ut Abrech idem ſit quod Pater tener, unde & beatus Lutherus ita vertit, der iſt des Landes Vater. Et huic expoſitioni favet quod Gen. XLV. 8. ipſe Joſeph glorietur ſe Pharaonis Patrem factum, ut proinde Joſeph Pater Ægypti, hac voce ſit proclamatus, eo ſenſu quo adhuc Viri Principes & optimi de rep. meriti

1. Buxtorfii & Druſii.

2. Lutheri.

Patres

Patres Patriæ vocantur. Ne autem quis miretur cur addita ſit vox ךָרֵב i. e. tener, dicunt ideo hoc factum, quod Joſeph eo tempore cum hic honor ei fuit exhibitus, tenera adhuc ætate fuerit, pro ut omnium primus expoſuit S. Hieronymus in quæſt. ſuper Gen. quo ſenſu Abrech Joſeph fuit dictus quod mente ſenex, ætate puer eſſet. Sed quod ſalva magnorum Virorum autoritate dixerim, hæc expoſitio minus commoda videtur ob duas rationes. 1. Quod hoc modo nomen *Abrech* ſine urgenti cauſa in duas diverſas voces divellatur. 2. Quod Joſeph tum temporis, nec puer nec adoleſcens ſed vir matura ætate nempe 30. annorum fuerit. Alii nomen *Abrech* non ab אַב h. e. Pater, ſed a radice בָּרַךְ benedixit derivant & hi iterum in duplici ſunt differentia. Alii enim quorum agmen ducit Mercerus apud Pagninum Columna 329. *Abrech* Ægyptiorum idem fuiſſe putant quod בָּרוּךְ Ebræorum benedictus, ideo cenſet ſimili modo quo Populus Salvatori urbem intranti acclamavit *Hoſianna* filio David, benedictus qui &c. ſimili inquam modo fuiſſe Joſepho acclamatum Abrech i. e. Benedictus ſit novus hic Princeps. Nec diffiteor vocem בָּרַךְ apud Ebræos hoc modo acceptam. Refert enim D. Hieronymus in vita Hilarionis, quod Saraceni aliquando S. Hilarionem acceſſerint & ab eo בָּרַךְ petierint h. e. ſolennem benedictionem. Alii denique quorum ſententiæ nos adſcribimus nomen quidem a radice בָּרַךְ ſed ex Conjugatione Hiphil in qua verbum hoc ſignificat genua flectere, concinne derivant, ita ut *Abrech* ſit prima Perſon. Fut. in hac Conjug. Unde non vulgatus tantum interpres ita expoſuit clamaſſe Præconem ante Joſephum: *Flectite genua:* ſed & Aben Eſra longe doctiſſimus Rabbinorum ſuper h. l. ſcribit. Omnis homo clamabat ante Joſephum *Abrech* h. eſt. *Ego in genua procumbam & adorabo eum.*

3. *Mercceri.*

4. *Aliorum.*

Adorationis Mos & Ratio.

Notabunt h. l. ſtudioſi ſacrarum antiquitatum, quod in Oriente crebra fuerit Virorum Principum adoratio quæ vel erat *Genuflexio vel totius corporis* ad terram incurvatio. Ita Abraham volens emere ſepulchrum hæreditarium in Heth, legitur incolas adoraſſe h. e. ſe coram illis incurvaſſe Gen. XXIII. 7. Jacobus fratrem ſuum, quamvis impium Eſau ſexies ad terram demittendo ſe adoraſſe dicitur Gen. XXXIII. 4. Moſes adorabat Socerum ſuum, David Jonathanem. Communiter autem adoratores adeo ſe incurvabant ut fronte terram contingerent. Hunc γονυπετὴν vel adorationem Regibus olim exhibitam, docent exquiſiti illi nebulones qui tempore Paſſionis coram Salvatore tanquam novo Rege genua flexerunt Matt. XXVII. 19. Quæ genuflexio militum quamvis irriſoria, fuerit, docet tamen quis regibus honor olim fuerit exhibitus. Qui E. Abrech hoc modo exponunt. Ego in genua procumbam ; Volunt Pharaonem imperaſſe ut Joſephus regio cultu ab Ægyptiis adoraretur. Quicquid tandem ſit de nomine iſto nobis eo ipſo Joſephus Pro-Rex Ægypti vel regni Cancellarius & proximus a Pharaone conſtitutus, unde etiam Gen. XLII. 6. dicitur שַׁלִּיט h. e. Dominus Ægypti a radice שָׁלַט profuit vel dominatus eſt. A quo verbo Saraceni in hunc usque diem *Sultan* Imperatorem ſuum vocant. Corollarii loco quæritur cur genuflexio coram Regibus aulæque Magnatibus qualis erat Joſeph ſit cultus mere civilis, an recte fecerit Mardochai, quod contra mandatum regis Ahaſveri coram Haman genua flectere noluerit, quo facto non ſe tantum ſed & omnes Judæos in extremum periculum conjecit? R. Omnino eum recte feciſſe. Nam apud Perſas hic genuflexionis cultus nemini niſi Diis inter ſacra tribui ſolebat. Ahaſverus autem coram Haman ideo genua flectere juſſit, ut divinos

Quæſt. Cur Mardoch. genua corã Haman non flexerit Rſp.

nos ei honores decernerent, quos merito Mardochai noluit homini deferre, ne idololatra videretur. Apud Perſas autem adoratio civilis erat manus ad os admotio, a quo ritu ipſum adorationis nomen deſcendit. Hodie apud nos ſymbolum civilis adorationis eſt *detectio capitis*, qui mos originem habet a Romanorum ſervis, quorum nemini coram Domino ſuo licuit eſſe pileatum. Nam pileus ſervo impoſitus apud veteres Romanos erat libertatis ſignum, unde hæc detectio capitis indicat, quod alterum veluti Dominum tuum obſerves.

Unde nomen adorationis.

SAPHNATH PAENEAH.

EOdem cap. quo nomen *Abrech* habetur v. 45. inter honores Joſepho delatos refertur, quod Pharao illum dixerit *Saphnath Paeneah*, de quo nomine 3. ſunt interpretum ſententiæ. Nam *1. Ebræi*, priſcum hoc nomen concorditer exponunt *revelatorem occultorum* & putant Joſephum ideo ſic dictum, quod Pharaoni futura prædixiſſet, arcana revelaſſet, totique Ægypto prudenti ſuo conſilio proſpexiſſet. 2. *Philo Judæus* expoſuit ὀνειροκρίτην h. e. ſomniorum interpretem, quanquam affirmet apud Ægyptios *ſalvatorem mundi* hoc nomine denotari in libello de nominibus Ebræis. Atque hæc eſt ſecunda expoſitio, quam Vulgatus Interpres ſequitur. Hic enim ita reddidit. Vocat Pharao Joſephum ſalvatorem mundi. Erat nimirum apud Ethnicos frequens ut Deos ſuos, ut Jovem, Herculem, aliosque ob ingentia bene facta ſalvatores appellarent, qui titulus poſtea non iis tantum, ſed & viris de rep. præclare meritis fuit conceſſus. Hinc Tacitus 15. Annalium ſcribit Milichum fuiſſe σωτῆρα dictum, ideo quod conjurationem Piſonianam Neroni detexiſſet. Ad eundem modum cum Pha-

Sententiæ de hoc vocabulo 1. Priſcorum Ebræorum.

2. Philonis.

rao Joſephum pro Oraculo haberet, cumque Joſephus de proſpectione frumenti de tota Ægypto bene meritus eſſet, Rex eum *Saphnath Paeneah* σωσικοσμὸν merito appellandum duxit. Poſito quod *Saphnath Paeneah* Salvatorem mundi denotet, videtur eo ipſo, Joſephus in Deorum numerum adſcriptus & per quandam ἀποθέωσιν divinis honoribus affectus. Unde etiam Annalium Conditor Baronius, Cornelius a Lapide aliique ſcripturæ S. interpretes, quibus facem prætulit Hieronymus quæſt. ebr. ſup. Gen. ex hac voce colligunt Joſephum ob beneficium proſpectæ annonæ ab Ægyptiis ſub nomine Serapidis primarii Ægyptiorum Dei cultum fuiſſe. Ita quidem interpretes latini. Sed quod *Saphnath Paeneah* ſit ſalvator mundi, non credit Sixtinus Amama cujus hæc eſt cenſura. Dicat mihi aliquis utra vox in *Saphnath Paeneah* prior ſive poſterior mundum ſive ſalvatorem ſignificat, monſtret mihi aliquis ullum hujus ſacrificationis indicium ex lingua Ægyptiaca, efferat quis vel minimam conjecturam, quæ huic vulgatæ verſioni robur addat & nos lubenter admittemus. Nam h. m. ſub hac voce Joſeph elegans typus fuit Chriſti. 3 Hujus vocis expoſitio eſt Helleniſtarum, qui *Saphnath Paeneah* reddunt ἀνδρα βιλῆς quos ſecutus B. Lutherus vertit, Pharao nennete Joſeph ſeinen geheimten Rath. Fatetur tamen Luth. Comment. ſuper h. l. ſibi de origine hujus vocis non conſtare. Mirum eſt ipſos interpretes LXX. qui in Ægypto fuiſſe & Biblia expoſuiſſe dicuntur vim hujus nominis ignoraſſe, unde nonnulli colligunt Authenticam LXX. interpretum non amplius exſtare. Nicolaus Liranus Judæus converſus de hac voce ita commentatur. Ebræi exponunt revelatorem occultorum, an vero in Ægyptiaca lingva ſalvatorem mundi ſignificet, ut habet latinus interpres ego neſcio, quia lingvam Ægyptiacam penitus ignoro.

s. Helleniſtarum.

Legi

Legi tamen de hac voce meretur Athanasius Kircherus, qui nostra memoria Romæ ex manuscripto Vaticano Pentateuchum Arabicum edidit, in quo ostendit *Saphnath Paeneah* nomen mere Ægyptiacum fore.

PASTORES IN ÆGYPTO ABOMINABILES.

Gen. XLIII. 32.

CUm Patriarcha Jacob se suamque familiam in Ægyptum transtulisset, Joseph hoc dedit eis consilium, ut de functione sua quæsiti responderent se pecorum custodes esse, propterea quod hoc hominum genus Ægyptiis abominationi esset. Miretur aliquis unde in Ægypto hæc abominatio pastorum? Sed ut hæc intelligas, sequentia merentur notari. Nulla fuit sub sole natio superstitiosior quam olim Ægyptii, imo per secula plurima. Ægyptus toti orbi seminarium fuit idololatriæ. Nam non Græci tantum ab Ægyptiis adorare astra, condere templa cultum imaginum, aliosque sacrorum ritus didicerunt teste Herodoto in Euterpe; sed & ipsi Ægyptii ab astris ad bruta animalia colenda prolapsi sunt, ad ea præsertim quorum figuras inter sidera cernerent, talia bruta fuerunt imprimis Bos, Canis, Anguilla, Crocodylus, quæ bruta omnia Ægyptii adorarunt, hinc Poeta:

-- -- Quis nescit qualia demens
Ægyptus portenta colat, Crocodylon adoret.

it. Lucanus.

-- -- Multas volucresque feraspue
Ægyptii coluere Deos.

Cum

Cum igitur Ægyptii bruta inter Deos referrent, a mactatione brutorum & ab esu animalium, quæ in Deos selegerant sancte abstinebant. Hinc de iis Juv. Satyr. $\frac{5}{15}$

-- -- Lanatis animalibus abstinet omnis
Mensa, nefas illis fœtum jugulare capellæ.

Pastores autem uti pecudes & bruta indistincte pascebant ita & indistincte mactabant & comedebant, ideoque a cæteris Ægyptiis impii, profani & execrabiles habiti sunt, quod animalia sine Deorum metu comederent, quibus tamen cæteri sacrificabant. Ridet hanc insanam abstinentiam a brutis Rhodius Poeta Com. falso hoc carmine:

Bovem colis, Diis ego macto bovem
Tu maximum Angvillam Deum putas ego
Obsoniorum credidi svavissimum
Carnes suillas tu caves, at gaudeo
His maxime, canem colis quem verbero.

De cætero sciendum est summum Deum apud Ægyptios fuisse vivum bovem nigri corporis, sed candidæ frontis, quem Ægyptii cavea inclusum sub nomine apidis vel serapidis coluerunt, ideo quod Serapidis (alii Josephum putant fuisse) multum commodi Ægyptiis tulisset, hinc eundem sub figura utilissimi animalis adorandum censuerunt. Videatur de Apide isto Ægyptiorum Herod. 3. & Lucian. de Sacrific. Fuit aliquando hic bos Augusto Imperatori ut adoraret ostensus. Sed respondit Augustus: Ego Deos adoro, non boves. Ab Ægyptio illo bovis cultu Israelitæ suam idololatriam primam didicerunt. Nam cum in Ægypto bovem coli spectassent, in deserto hanc rem imitati, aureum vitulum tanquam bovis Ægyptiaci fœtum conflarunt, iisque ritibus quos in Ægypto viderant, adorarunt. Atque hæc Moscholatria in Dei populo prima fuit idololatria.

Da sie das Kalb angebetet. *Moscholatriam unde Israelitæ didicerint.*

SICLVS

SICLVS.

Gen. XXIII. 6.

PRima in ſacris mentio Sicli eſt Gen. XXIII. 6. ubi Abraham pro emendo Saræ ſepulchro filiis Heth Siclos 400 dependiſſe dicitur. Siclus apud Judæos erat primaria moneta, dicta à Radice שָׁקַל ponderare vel librare. Nam apud Veteres non tam Ebræos ſed & Chaldæos & Syros moris erat, non ut pecuniam numerarent quemadmodum apud nos fit, ſed ut æra librarent & juſto pondere examinarent. Ideoque a librando Siclus dicitur, id quod multis ſcripturæ locis lucem accendit. Hinc in ipſa hiſtoria Paſſionis Chriſti Phariſæi dicuntur Judæ proditori Siclos triginta non annumeraſſe, ſed appendiſſe. Cæterum pervulgata eſt hæc opinio, *Siclum fuiſſe geminm, Sacrum & Profanum. De Sacro* quem alii *Siclum Sanctuarii* vocant, ſcribunt, Tetradragmon fuiſſe h. e. 4. drachmas pependiſſe, juxta noſtram Monetam præter propter dimidium thalerum. Dictum autem eſſe ſacrum, ideo, quod ſolum ad res ſacras v. g. ad ſtructuram tabernaculi ad fabricandum, ad alendos ſacerdotes, ad Numen reconciliandum, ad animarum redemtionem & cæteros uſus ſacros fuerit adhibitus. Habet *Siclus Sacer* in una facie imaginem aureæ urnulæ vel arcæ fœderis cum hac Inſcriptione : SICLVS ISRAELIS, characteribus non tam Ebræis ſed Samaritanis. In altera parte fuit conſpicua *Aaronis virga* cum his vocibus: *Hieruſalem Sanctum.*

De *Profano Siclo* quem alii regium vocant, ſcribunt nonnulli Didrachmon fuiſſe, dimidio itaque minorem Siclo ſacro. Dictum autem eſſe profanum ideo, quod ad res ſolum politicas & profanas in Civilibus negotiis, in commerciis, contractibus fuerit adhibitus. Hunc Profanum

Siclum maxime Davidis tempore & Salomonis Regum Israelis in usu fuisse & in altera hujus parte fuisse expressam arcem cum hoc Lemmate. HIERUSALEM URBS SANCTA. In altera vero parte has solum voces repertas. DAVID REX & FILIUS EJUS SALOMO REX. Refert autem Jansenius in Harmonia Evangelica cap. 128. Romæ in hunc usque diem in templo Lateranensi Siclum sive nummum argenteum ostendi, quem ajunt ex 30. illis fuisse quibus Judas Salvatorem vendidit & prodidit. Verum Siclus ille Romanus habet effigiem hominis, eminente altera mala uti Nummi Romani olim fuerunt, sed a tergo hujus Sicli flosculus est utrinque nullo indice, cujus pondus putatur esse Didrachma, qui Siclus, si sit genuinus, Salvator noster venditus est 7. Imperialibus & dimidio. Verum concinnior est sententia, Siclos, quibus venditus est Salvator, sacros fuisse, adeoque summam 15. Imperialium feciſſe. Vulgatum hoc discrimen Sicli Sacri & Profani in sacris literis expresse haberi, constans fuit opinio. Nam de Siclo Sanctuarii ejusque valore prolixe agitur Exod. XXX. 13. Sed Siclus profanus indicari videtur 2. Reg. XIV. 26. Ubi crines Absolonis dicuntur libras se 200. Siclos regii ponderis nach Königl. Gewicht ut Lutherus reddidit. *Verum nobis hæc vulgi sententia de duorum ponderum Siclis* falsa videtur, ideoque in sententiam Joh. B. Philalpandii concedimus, qui omnium primus in apparatu suo sacro Tom. III. p. 3. evidenter demonstrat hanc Sicli divisionem in Sacrum & Profanum esse Rabbinorum figmentum. Dicitur autem in sacris literis Siclus sacer & regius, non quod diversorum ponderum fuerit, & ille quidem ad res solum sacras, hic vero ad res solum profanas fuerit adhibitus, sed ob longe alias rationes nimirum SICLUS S. vocatur ideo, quod in sanctuario authenticus Siclus asservaretur, ad quem omnes reliquos Siclos exigi oportuit, si

forte

forte moneta esset corrupta, adeoque Siclus sanctuarii erat unica & certa norma ad quam Sicli omnes fuere librati. Quæ sententia Studiosis Antiquitatum eo fit probabilior, quo certius norunt apud Veteres etiam in Ecclesia receptum fuisse, ut mensuræ ac pondera in primæva cujusvis urbis Ecclesia custodirentur ex mandato Justiniani in Authentica de Collationibus §. Eos autem &c. Quin etiam apud Veteres Romanos erat Amphora Jovi Sacra, quæ propterea dicta fuit Amphora, quod in Capitolio esset suspensa, & ad eam cœteræ mensuræ exigerentur teste Fannio de Pond. Vet. Siclus autem Regius cujus mentio fit 2. Reg. XIV. 26. non fuit diversi valoris, à Siclo sanctuarii sed ob duas alias rationes fuit Regius dictus 1. Ideo, quod Regibus in Rep. Ebræorum constitutis Siclus Sacer ex Sanctuario in Regis aulam fuerit translatus. Vel 2. ideo quod Legibus constitutis Sicli omnes regia autoritate fuerint excusi. Nam inter Jura Majestatis jus cudendæ monetæ habetur. Hæc sententia Philalpandii quod nimirum *Siclus Sacer & Regius* quoad valorem unus idemque fuerit, duobus adhuc argumentis eleganter confirmat. 1. Inde quod Lev. XVII. Per totum caput omnis æstimatio juxta Siclum Sanctuarii fieri jubeatur, imo eodem capite expresse omnes Contractus Emtionis & Venditionis ad Siclum Sacrum exiguntur. 2. inde, quod cum hactenus multi Sicli Tetradrachmi fuerint ostensi, nullus tamen genuinus qui diversi valoris esset hactenus potuit ostendi. Vide Decimatorem in Voce Siclus.

De FESTIS JVDÆORVM.

FEsta Judaica sunt bipartita, alia *Stativa*, alia *Conceptiva*. *Stativa* dicuntur, quæ statis temporibus ex ipsius DEI

instituto agebantur. Hæc iterum singulis septimanis ut Sabbathum, vel singulis mensibus, ut Festum Novi-Lunii, vel singulis annis, ut Festum Paschæ, Pentecost. Tabernaculorum, sub quo Festum Tubarum, Festum Expiationis & celebritas magna continentur. Vel singulis septenniis, qualis erat annus Semithar h. e. Dimissionis, vel denique Quinquagesima, quæ anno quovis L. recurrere solebant, quale Festum erat annus jubilæus. Hæc de Festis ab ipso Deo constitutis. *Conceptiva* autem vocantur Festa, quæ Judæi invicem citra speciale Dei mandatum conceperant, qualia erant: Jejunia quatuor Temporum, dies Purim, Festum Obsoniorum, (Encomiorum) Festum Solstitii & Æquinoctii vel dies Rogationum.

vide de anno jubilæo God-wyn. 306.

SABBATHVM.

Etymon Sabbathi juxta Plutarch.

SAbbathum juxta Plutarchum ut refert Cœlius Rhodiginus l. 4. c. 5. dicitur a Sabbis Bacchi Sacerdotibus. Unde Bacchus ipse Græcis σαββάσιον a σαβάζειν dicitur is, qui frontem exporrigit, genialiter vivit, tripudiat, debacchatur. Quæ quidem Etymologia cum Judæorum Sabbatho non male convenit. Judæi enim Sabbatho *in hunc usque* diem delicati vivunt, genio indulgent, nec coli recte Sabbathum putant, nisi delicatis ferculis ventrem impleant. Sed sine dubio rectius dicitur Sabbathum ab Ebræo שָׁבַת i. e. quievit. Nam primo & præcipue dicitur Sabbathum septimus in hebdomade dies, quo Deus ab universo creationis opere dicitur quievisse, & in memoriam divinæ hujus quietis Sabbathum fuit dedicatum. Quam Etymologiam ipse Moses haud obscure innuit Gen. II. v. 3. Ubi tamen notandum venit, quod Deus primo Sabbatho non quidem simpliciter a rebus creandis quieverit, cum ipsa rerum conservatio

ſervatio nihil aliud ſit, quam continuata creatio, imo viris doctiſſimis ſit adhuc probabile, quod Deus quotidie animas rationales creet & corporibus immittat. Sed ideo Deus poſt primum ἐξαήμερον a creatione dicitur quieviſſe, quod poſtea nullas rerum ſpecies creaverit. Cum vero ſeptimum quemque diem ſibi colendo Deus deſtinaverit, hinc eſt quod in ſacris quodlibet Feſtum appellari ſoleat Sabbathum Ezech. XX. 24. Quia ſingulis Feſtis, non ſecus ac Sabbathis manuales operæ ſeponendæ, & divino cultui eſt vacandum.

Sabbathum in ſpecie pro anno ſeptimo ſumi ſolet, quia integrum annum Judæi ſacro otio transegerunt, eodemque nec arare nec ſerere licuit. Unde Lev. XXV. Totus hic annus Sabbathum quietis terræ dicitur, & apud Joſephum annus ille Sabbathicus lib. 14. Judaicarum Antiquitatum c. 19. peculiariter Sabbathum primus & ultimus dies alicujus feſti dicitur. Ita etiam de Feſto Tabernaculorum Deus ſanxerat: Die primo vobis erit Sabbathum Lev. XXIII. 8. Atque ex hoc Dei inſtituto in Eccleſia quoque magnorum Feſtorum octavæ ſunt introductæ. His bene cognitis recte intelligitur quod ſit Sabbathum δευτεροπρωτον h. e. ſecundo primum Luc. VI. quam vocem ipſe fatetur Hieronymus ſe olim ſatis aſſequi non potuiſſe. Nihil autem aliud eſt Sabbathum ſecundo-primum quam ultimus dies vel octavus alicujus Feſti magni. Hæc octava dicitur δευτερον Sabbathum ratione temporis, quia erat poſterius Sabbatho quo Feſtum ceperat. Eadem octava dicitur Sabbathum πρωτον ratione ſolennitatis, quia ultimus hic dies æque erat ſolennis atque dies primus. Præterea Sabbathum in Sacris hebdomadem integram ſæpe denotat. Ita Deus Lev. XIII. 25. à Paſchate jubet ſeptem Sabbatha numerare h. e. ſeptem hebdomadas iisdemque completis, a-

Quid ſit apud Lucam c. 6. Sabbathũ ſecundo-primum.

gere Pentecosten. Quin & in Evangelio Luc. XVIII. notorius ille Pharisæus hac prece se commendat: Jejuno bis in Sabbatho. Sed jejunare in Sabbatho lege divina erat prohibitum, itaque per Sabbathum h. l. tota hebdomas intelligitur. Unde recte B. Lutherus Ich faste zwier in der Wochen. His cognitis magna lux accenditur difficili alias loco Matth. 28. de quo Toletus super Johannem pronunciat: Nullibi Evangelistas sibi magis videri adversari quam in annotando tempore Resurrectionis Christi. Scribit enim Matthæus Dominum resurrexisse ὠψὲ σαββάτων h. e. uti vulgatus imo ipse Lutherus reddidit am Abend des Sabbaths / welcher sey aufgangen des Morgens am ersten Fest des Sabbaths. Sed facilis est conciliatio si observes. Sabbathum hoc loco pro integra hebdomade sumi & hunc esse sensum: surrexisse Dominum non vespera Sabbatho, sed cum hebdomas jam præterierat & illuxerat prima dies hebdomadis sequentis, qua de re videatur pluribus B. Calixtus in Harm. Evangel.

Locus planus ex Matt. 28. Deum resurrexisse Frühe an einẽ Sabbather. quando Dominus resurrexit.

Denique Sabbathum in sacris pro spirituali Sabbatho sumitur bifariam. Aliud enim est *Sabbathum Animi*, cum mens a vitiis quiescit & Deo est devota. Aliud est *Sabbathum Æternum* quo æterna quies in cœlo denotatur, ubi Sabbathum ex Sabbatho sumus acturi. Nobis hoc loco Sabbathum imprimis dicitur dies primus vel septimus in hebdomade, qui quidem dies ut esset memoriale creationis & initium rerum omnium a condito mundo videtur solennis fuisse, non tam lege quam consvetudine, donec ipse DEUS hanc publicam consvetudinem lege in Decalogo lata comprobavit hac formula: *Memento, ut diem Sabbathi sanctifices.* Atque hoc unum in Decalogo præceptum memoriale est, cum reliqua omnia sint legis æternæ & juris nostræ, nihilominus tamen, licet septimus dies sit juris positivi, juris

Sabbathũ Animi Æternũ.

naturæ

naturæ eſt ut ſingulis ſeptimanis certum aliquot tempus Deo ſolenniter colendo dicetur. Fuit autem in Vetere Teſtamento Sabbathum adeo ſacrum, ut Deus ipſe commi-
netur ejus profanatoribus Exod. XXXI. fore ut moriendo moriantur, qua formula in ſacris mors certa eaque ſpiri- *Morien-*
tualis & æterna connotatur, quin & lapidibus obrui jube- *do mori*
tur, qui Sabbatho paucula ligna collegerat. Num. XV. *i. e. &*
32. Sabbatho nec Judæis coquere nec pinſere licuit, ſed *tempora-*
cibos omnes die Sabbathi prævio, quem præterea Sabba- *liter &*
thi Paraſceven vocabant, præparare oportuit Ex. XVI, *aeternali-*
23. Sabbatho nullum iter ſuſcipere licuit, ſed ſingulos, vel *er pu-*
domi vel in Synagoga ſe continere opportuit. Poſteriores *niri.*
tamen Judæi circa dimidium miliare germanicum vel ſpatium bis mille paſſuum diſpenſabant, quod propterea iter Sabbathi dicitur Act. I. 20. Sabbatho per portas urbis nemini cum onere ingredi licuit, hinc Deus incendium minatur Portis, in quibus tale quid Sabbatho fieret Jer. XVII. 24. Quin & à commerciis & publicis nundinis Sabbatho fuit abſtinendum Neh. XIII. Sed nec mortuum ſepelire licuit Sabbatho, hinc corpus Domini die Veneris fuit ſepelitum. Joh. XIX.

Et ut verbo omnia complectar, à quovis opere civili vel manuali Judæi viri ab agro colendo, fœminæ à lanificio erant prohibitæ. Interea Judæos Sabbathum integrum divino cultui impendere oportuit, ideoque Hieroſolymis in templo & per oppida Palæſtinæ in Synagogis ad Sacra convenerunt, in quibus Pſalmos Davidis cecinerunt, & certas ex Moſe *Paraſchas* nec non ex Prophetis *Haphtharas* populo prælegerunt.

PARASCHÆ dicuntur Sectiones, in quas Judæi *Quid Pa-*
Pentateuchum diviſerunt, ita quidem, ut quovis Sabbatho *raſcha.*
aliqua Sectio legeretur, & hoc modo per integrum annum integer Pentat. abſolveretur. Hic mos legendi

Moſen

Moſen jam Chriſti ævo fuit receptus. Hinc Act. XV. Moſes ab antiquis temporibus dicitur habere in ſingulis Civitatibus qui illum prædicent in Synagogis in quibus per omne Sabbathum legatur.

Haphthara. HAPHTHARÆ autem hoc eſt Dimiſſiones dicuntur Lectiones è Prophetis præſertim ex Eſaia. Ideo dictæ dimiſſiones, quod poſt lectionem à Propheta populus ex Synagoga dimitteretur. Ejusmodi Haphtharæ itidem ævo Chriſti fuere in uſu. Ita enim Apoſtolus: voces Prophetarum per omne Sabbathum leguntur Act. 13. 27. Præter hæc Sacra Deus peculiare ſibi Sacrificium offerri juſſerat, quod prolixè deſcribitur. Num. 28. 9. Lapſu temporum Religio Sabbathi in varias ſuperſtitiones tranſiit. Hinc jam Maccabæorum ævo fuit opinio: *Sabbatho non licere Vim vi repellere & invaſoribus arma opponere*, quæ prava opinio olim multis Judæis fuit internecina 1. Macc. 2. 35. Sic & grande ſcelus putarunt, Sabbatho herbas evellere vel ſpicas colligere. Hinc ob Sabbathi ſpicilegia, Phariſæi diſcipulos Chriſti reprehendunt Luc. 6. 1. Nefas eſt hodiè apud Judæos ſi quis in Sabbatho bovem in foveam delapſum extrahat, quod tamen tempore Chriſti adhuc licuit, ut patet ex Ev. Luc. 14. 5. *Nefas eſt hodie apud Judæos Sabbatho candelas emungere, literas aperire, pomum igni admovere, ungues digitorum abſcindere, arborem aſcendere, & ramum inde frangere, ſalientem pulicem occidere, alvum exonerare*, de quibus legatur Buxtorf. in Syn. Jud. c. 10. Hinc Romani Judæos Sabbatharios vocarunt, & Juv. Sat. 14. judæum quemvis vocat timentem Sabbathi Patrem. Naſcente Eccleſia Apoſtoli, quamvis ad obſervationem Sabbathi, Chriſto exhibito, non tenerentur amplius, in Sabbatho tamen obſervando, aliquandiu Judæis ſe confirmarunt, non quod lege divina ſtringerentur, cum expreſſe dicat Apoſtolus: *Nemo vos judicet de Diebus Feſtis Neomœnicis*

mœnicis vel Sabbathis, quia hæc erant, *umbræ futurorum* Coll. II. 16. Sed ob duas alias rationes (I) Ut ſynagoga cum ritibus ſuis â Deo condita in reverentiam Dei Conditoris non ſtatim velut Idolum aliquod abolerent; ſed paulatim & honeſte ſepelirentur. (II.) Ne Judæos recens converſos Sabbatha Sabbathi immutatione offenderent, iisque ſcandala darent, ſed ut rituum hac ſimilitudine eosdem lucrarentur. Hinc Act. XIII. 14. Paulus & Barnabas Sabbatho Synagogam intrant, & Proſelytis rogati concionantur. Similiter Act. XVI. 13. Paulus & Silas Sabbatho collectas fidelium extra urbem agunt, & in ripa fluminis populum docent; Sic & primi Chriſtiani Sabbatho ad frangendum panem, h. e. Syro reddente, ad ſacram Euchariſtiam celebrandam convenisſe dicuntur. Act. XX. 7. Nihilominus Eccleſia ne infidelem Synagogam Sabbatho imitari videretur, libertate ſua fuit uſa, ſolennia Sabbathi omnia in diem Dominicum tranſtulit, ob duas cauſas, quas reddit Juſt. Apol. II. Ideo, inquit, *Die ſolis convenimus, quia hoc die mundus cœpit. 2. Quia eodem Dominus noſter â morte reſurrexit.* Atque hic mos Diem Dominicum Sabbatho ſubſtituendi vivis Apoſtolis cœpit. Hinc eodem die Chriſtiani in cœtu collecti 1. Cor. XVI. 2. idemque dies dominicus dicitur Apoc. I. 10. Eo tamen non obſtante quod Apoſtoli & primi Chriſtiani Sabbathum abrogaſſent, plerique Chriſtiani græci Abyſſini aliique Orientales in hunc usque diem una cum die dominica ex Veteri inſtituto aliquid ſolennium Sabbatho deferunt. Hinc Greg. Nyſſ. qui ante hæc 13. ſecula vixit, oratione contra eos qui cenſuras agræ ferunt ſcribit: *Quibus oculis Diem Dominicum aſpicis, qui Sabbathum decoraſti, an neſcis hos dies duos fratres germanos eſſe, & qui in unum peccat, in alterum haud minus impingit, in ipſis Apoſtolorum Canonibus qui vocan-*

Act. 13. 14.

Quare pro die Sabb. Dies Solis a Chriſtianis ſacer habetur

tur

tur Jejunium Sabbathi, graviter prohibetur, ideo quod Sabbathum sit dies feriatus. Socrates qui Sec. V. floruit, ordinaria festa in quavis hebdomade vocat Sabbathum & diem Solis, quod hoc biduo sacra fierent publica. Concilium Laodicæum, quod inter Canones Universæ Ecclesiæ fuit receptum jubet, Sabbathis Sacros agere Conventus & Evangelia aliosque Textus sacros populo prælegere, otium tamen omne in diem Solis transferre, atque ob hunc Sabbathi cultum *Humbertus* Sylvæ Candidæ Episcopus in Disp. contra Græc. Orientales omnes vocat *Sabbathinos.* Verum in Ecclesia latina solenne fuit Sabbathi Jejunium, nec uspiam legimus, Latinos solenne Sabbathum habuisse, nisi forte Festum, vel Vigiliæ Festi in Sabbathum incidissent, qua de re eleganter differit S. Aug. Ep. 86. Denique de Sabbatho notandum, quod Patrum memoria inter Anabaptistas Sabbatharii sint recepti, qui cultum Sabbathi Mosaici de necessitate salutis statuerunt, & diem solis abrogandum dixerunt, quos merito dicimus insolenter insanos fuisse. Nam ut recte judicat S. Aug. Epist. CXIX. ad Januar. disputare de eo, tota frequentat Ecclesia, insolenter insanum esse.

NEOMENIA.

QUemadmodum Sabbathum singulis Hebdomadibus, ita Festum *τῆς Νεομηνίας* vel Novilunii singulis mensibus fuit agendum, & primo quidem die cujusvis Mensis. Origo hujus Festi non est omnino certa, plerique à Deo institutum existimant. Num. XXVIII. 11. Ubi Holocaustum Novilunii Deo offerendum prolixe describitur. Neque vero tantum ad Sacra convenire, sed & ampliſſima Convivia eodem festo agere solebant, cujus rei habemus

illustre

illuſtre exemplum I. Sam. XX. 24. Ratio ob quam DEus Feſtum Novi Lunii inſtituit, poteſt dari triplex. Prima: Ut Judæi Calendis Menſium pro luce creata debitas Deo gratias agerent. Ubi de Annis Ebræorum obſervandum, non ſolares fuiſſe, quales noſtri ſunt, ſed lunares. Habet autem quilibet Annus Lun. dies 354. adeoque minor eſt Solari diebus 11. Hinc quoque Judæi Tertio quovis anno menſes 13. numerabant, & menſem intercalarem habebant, dictum *Ucadar* hoc eſt *Ædar* iteratum. Singulos porro Menſes Judæi à Nova luna inchoarunt. Voluit, ergo Deus hoc feſto pro Renaſcentia Lunæ, imo pro conceſſione Lucis ſibi gratias agi. Secunda Ratio erat, ut Judæi ab Idololatria avocarentur. Erant enim Judæi in V. T. ad Idola colenda maxime proni, jam vero antiquiſſima eſt idololatria, qua Judæi luminaria Cœli, Solem, Lunam & cæteros Planetas adorarunt, prout ſingulis Planetis ſingulos per hebdomadem dies dedicarunt, & ab iisdem denominarunt, quin & Sap. XIII. 4. Vanitatis accuſantur Ethnici, qui aſtrorum orbes & lumina Cœli rectores Mundi arbitrarentur. Ne igitur Judæi ad adoranda Cœli lumina prolaberentur, ſed Deum luminis autorem omniumque Menſium directorem agnoſcerent, Deus primitias cujusvis menſis, ſtatim atque luna fuit renata, ſibi ſoli ſacras eſſe voluit. Tertia denique Ratio eſt S. Aug. qui in Feſto Novilunii elegantem typum illuminationis fidelium collocat, iisque feſtum hoc conditum exiſtimat, ut populus eodem die Lumine gentium h. e. Meſſia qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum publicè informaretur.

PASCHA.

PAscha vox Hebr. à rad. פָּשַׁח tranſiit vel tranſibit, non ideo dicitur, quod hoc Feſtum memoriam tranſitus populi per Mare rubrum deſignet, ut putat Naz. Or. II. de Paſch. Nec ideo quod tranſitum Angeli Percuſſoris per Ægyptum denotet, ut putat Philo, qui Paſcha propterea διαβατήριον vel tranſitorium appellat. Sed Paſcha hoc loco idem eſt quod *ſalvus*, quia primo Paſchate cum Angelus Domini omnes Ægyptiorum primogenitos occideret, domos Judæorum tranſierit iisque nihil damni intulerit; unde *Joſeph.* lib. II. Antiquit. Judaic. Paſcha vocat ὑπέρβασιν vel tranſcenſionem, non nudum tranſitum. Præterea Paſcha in Sacris per Metonym. ſæpe agnum Paſchalem denotat, qui in memoriam hujus Angelicæ tranſitionis fuit comedendus. Interdum totum Azymorum feſtum ſignificat quod per integrum ſeptiduum fuit continuatum. Hinc Luc. XXII. quivis azymorum dies Paſcha dicitur. Multi Patres Paſcha quaſi græcam vocem derivant à πάσχειν pati, ob paſſionem Dominicam. Huic enim Etymologiæ tanquam ſanctiori, ſcribit *Greg. Naz.* ipſæ aures conſentiunt. Ubi Studioſi Sacr. Antiquitatum obſervent, Veteres in derivandis vocibus peregrinis ſæpe ingenioſe ludere, & quamvis vera vocum Etyma probe norint, alias tamen origines ſæpe comminiſci. Neque tamen hoc ita accipiendum, quaſi Patres veras vocum origines ignorarint: quo nomine apud Criticos nonnullos vapulant, ſed ludunt tantum in originibus vocum ex pia curioſitate. Juvat hanc obſervationem uno atque altero exemplo oſtendere. Ita *Cyrillus* Hieroſolymitanus ζητήσει 10. *Nomen JEſu* quod pure Ebraicum eſt, cujus Etymologia ab ipſo Angelo in Evangelio redditur. derivat ἀπὸ τῦ ἰᾶσθαι à *Sanando*, quia Chri-

Paſcha quid.

Christus in diebus carnis sanavit omnes â Satana oppressos. Similiter *Anastasius* Synarita refert Baptisma dictum quasi βαπτισμὸς quia in Baptismo, βάλλεται τὸ λεῖσμα h. e. projicimus â nobis peccatum. Ad eundem modum veteres Pascha communiter derivant ἀπὸ τοῦ πάσχειν, non quod veram originem nesciverint, sed in honorem Passionis Christi, quæ nobis est sanctior, quam transitus Angeli per Ægyptum. Ob eandem causam Pascha σαρκόσιμον dixerunt, quia in Vigilia Pascha non passus est tantum Christus, sed crucifixus. Institutum est Festum Paschæ a Deo Exod. XII. ℣. 2. seqq. ut ageretur die XV. Mensis Nisan vel Abib, qui nempe Judæis fuit primus mensium, & in nostrum fere Aprilem incidit. Initium Festi factum est a vespera diei præcedentis & per integrum septiduum, qui propterea dies azymorum vocarentur, protractum. Inter festi ritus similiter primarius fuit comestio Agni Paschalis quem Judæos ex grege immaculatum quatriduo antequam mactaretur, segregare oportuit ob duas rationes: 1. ut quatriduo isto cognoscerent an ab omni macula immunis sit. 2. Ut ex quotidiano agni adspectu ansam sumerent, familiam suam ad Festum Paschæ præparandi. Hinc Rabbini scribunt, hunc agnum inter quatuor istos dies in singulorum domibus ad spondam lecti fuisse alligatum, ut semper oculis & animo observaretur. Sunt porro tres rationes, ob quas agnus hic immaculatus esse debuit.

1. Quod Deo fuerit offerendus, vel in honorem DEI comedendus, atque Deo Optimo Maximo optima quævis naturali jure debeantur. 2. Quod populus qui hunc agnum comedit similiter integer vitæ, scelerisque purus esse debuit. 3. In Typum Messiæ, qui & ipse agnus fuit immaculatus, qui mundi peccata sustulit. Jussit porro Deus dicto loco hunc agnum *Benjarhaim* h. e. inter duas vespe-

Agnus paschalis quare ante mactationem a grege fuerit separandus. Christ Pelarius Comment. in Exod. 4. rationes adducit m. p. 105. quare immaculatus esse debuerit. Ratio 1. Ratio 2. Ratio 3. quando mactatus

Inter duos soles quinam sint.

Pas vel ut reddit Chaldæus, inter duos Soles comedere. Qui vero sint hi duo soles vel hæ duæ vesperæ, ea de re sacri interpretes varie disputant, imprimis duæ sunt sententiæ. Alii existimant, apud Judæos quemvis diem duas vesperas habuisse, quarum altera solis altera luminis sit dicta. *Vespera solis* est quando sol infra Horizontem nostrum demersus occidit, relictis in aere luminis sui vestigiis. *Vespera luminis* est, quando lumen post occasum solis in aere relictum similiter evanescit, juxta quorum sententiam inter duas vesperas tempus fuerit crepusculum quo agnum mactari oportuit. Alii vero existimant, primam vesperam, post meridiem incipere, cum sol ad occasum vergere incipit, ab hora XII. usque ad III. pomeridianam, vesperam autem secundam, quando sol sub Horizontem descendit, ut proinde Agnus Paschalis post tertiam ante solis occasum fuerit mactandus. Mactato agno, Judæos sanguinem pateris excipere & aspero illo Hyssopo postibus domuum suarum inspergere, agnum assare, postea integrum cum omnibus intestinis comedere, additis amaris herbis, oportuit. Ea nocte quæ inter 14. & 15. diem mensis *Nisan* intererat. Inter comedendum erecti stabant, fœmora succincti, baculosque manu tenentes tanquam peregre abituri in memoriam exitus sui ex Ægypto. Edebant porro præpropere, nec quicquam relinquebant nisi ossa, quæ non fracta igne erant comburenda. Si quæ familia, quæ comedendo agno non sufficeret, vicini in subsidium erant vocandi; sed tota illa nocte domo egredi non licuit. Denique comesto agno ad mensam sedebant, & cætera fercula edebant. Hinc jam intelligitur, quo modo Salvator sedisse dicatur cum Pascha ageret. Observant enim veteres Christum in ultimo suo Paschate triplicem cœnam egisse. 1. *Paschalem* comedendo agnum, id quod sine dubio stando peregerit.

Pelargus Com. in Exod. p 3.

Prioris est sententiæ etiam Christ.

Christus in ultimo suo Pa-

2. Cœ-

2. *Cœnam vulgarem* qua reliquos cibos appositos, comedit, & ad hanc cum discipulis consedit. 3. *Cœnam Eucharisticam*, qua sub pane & vino corpus suum & sangvinem discipulis communicavit. *Schate triplicem Cœnam egit.*

Præterea Judæi per integrum hoc septiduum non comedere panes, nisi azymos sive infermentatos oportuit. Hinc probabilissimum est, quod Christus in pane azymo sacram εὐχαριστίαν instituerit, quodque Latina Ecclesia rectius agat quam Græca, dum in hunc usque diem Sacramentum Eucharistiæ in azymis celebrat. Neque vero hæc differentia inter Græcos & Latinos tanta est, ut propterea Schisma formetur, ac propterea Græci non tantum errant, dum Latinos Azymitas vocant ob usum Azymi in Eucharistia, sed & Latini peccant cum ob hostias fermentatas Græcos Enzymitas vocant. Secundo. Die Paschatis offerendum fuit gomor, quo nomine venit certa quædam mensura granorum, novis spicis excusa, quod nemo miretur, quomodo in Festo Paschæ nova grana Deo offerri potuerint. Nam Palæstina gradibus fere 18. ideoque 270. milliaribus â Septentrione nostro longius versus meridiem discedit, quam Germania nostra, ideoque in Palæstina Messis ipsa inter Pascha & Pentecosten incidit.

Denique Studiosos Antiquitatis nescire nolim, quare factum, quod Salvator sub Vesperam Die Jovis Pascha comederit, cum cæteri Judæi sub Vesperam Diei Veneris vix cœperint. Hoc ut intelligi possit ex Paulo Burgensi notabis, Deum quidem ordinasse ut 14 Luna sub Vesperam Pascha ageretur. Sed Judæi in hac lege Dei ita dispensaverunt, ut si Pascha in diem Veneris ejusque vesperam præviam incideret, solennitas ejus in proximum Sabbathum ejusque præcedentem vesperam differetur, ne scilicet duo Sabbatha vel festa continua essent. Proinde Christus *Quare Salv. sub vesperam die Iovis Cœnam comederit.*

Christus juxta Dei legem Pascha egit, sed reliqui Judæi juxta traditiones Majorum. Liberum enim erat, utrum diem in hoc casu præeligere vellent. Observabunt denique Sacrarum Antiquitatum Studiosi circa Festum Paschæ in prima Ecclesia Christianos in Asia repertos, qui quia eodem cum Judæis die nim. 14. mens. *Nisan* Pascha celebrarunt, dicti sunt *Tessares* τεσσαρες vel quarta *decimani* item *Paschatitæ*, quæ dierum diversitas in mediis etiam gravissimis Ecclesiæ persecutionibus diuturni Schismatis fuit occasio.

Paschatitæ.

Historia Schismatis ita se habet. Vivis Apostolis Ecclesia judæis commixta uti Sabbathum sic & Pascha aliaque festa eodem cum Judæis die agere solita est, ideo ut hâc rituum similitudine Judæos lucrarentur. Hunc morem S. Johannes & Philippus Evangelistæ ad Asiaticos detulerunt teste Euseb. lib. V. Hist. c. XVI. ut proinde Asiatici modum agendi Pascha eodem cum Judæis die ab ipsis Apostolis acceperint. Contra vero Petrus & Paulus Romæ & alibi inter gentiles libertate Christiana usi, diem Paschatos ob Resurrectionis Christi honorem in diem Dominicam transtulerunt. Quæ diversitas non fuit animadversa usque ad Medium Seculi II. Tum enim omnium primus *Pius* Papa visione quadam Hermetis inductus decretum condidit, ne Pascha alio quam Die Dominico ageretur. *Pii* successor *Anicetus* Decretum hoc contra Asiaticos strenue ursit, ut *S. Polycarpus* eo ipso moveretur, ex Asia Romam adeundi & hoc dissidium de Paschate componendi, sed licet magnus Polycarpo honor Romæ deferretur, dissidium tamen componere non potuit, sed subinde inter Romanos & Asiaticos de Die Paschatis Quæst. publicè fuit agitata, donec sub initium Sec. III. Victor Papa Synodo Romæ habita Asiaticos omnes quod eodem cum

cum Judæis die Paſcha agerent ſolenniter excommunicavit. Unde hodie nonnulli exiſtimant in hoc Anathematis fulmine Antichriſti infantiam fuiſſe. Hæc vero Victoris præcipitantia in Eccleſia Viris moderatis valde diſplicuit, imprimis S. Irenæo Lugdunenſi in Gallia Epiſcopo, qui quamvis cum Romanis die Dominica ageret Paſcha; in Victorem tamen per literas graviter fuit invectus, quod propter rem levem ac indifferentem tot Viros nobiles in Aſia, imo Apoſtolicas Eccleſias Martyrum ſanguine conſperſas, excommunicaſſet. Atque hæc moderatio effecit, ut inſuper habito Pontificis Decreto quælibet pars ſuum morem retineret. Verum hæc concordia non ſuit diuturna, donec anno 318. Conſtantinus M. legem ferret, ut Paſcha die Dominica per totum Romanorum Imperium ageretur. Sed ne ſic quidem ſchiſma potuit componi, donec autoritas Concilii Nic. accederet, quod non tam in cauſa Arii, ſed imprimis in cauſa Paſchatis fuit coactum. Atque in hoc Concilio perpetuum fuit decretum conditum, ne per orbem Chriſtianum alio quam die Dominica Paſcha celebraretur, quod Decr. Nic. in toto tandem terrarum Imperio Romano obtinuit, & in hunc usque diem obtinet. Poſt Concilium Nic. pauci huic Decreto ſubſcribere noluerunt, ſed in Conciliis Sec. IV. pro Hæreticis & Schiſmaticis ſunt declarati, nec in imperio tolerati. Legi hac de re poteſt Euſeb. dicto loco. Socr. lib. V, Hiſt. c. 22. Et libellus noſter de *Feſtis Chriſtianorum.*

PENTECOSTE.

INter primaria totius anni Feſta ſub V. & N. Teſtamento, fuit Pentecoſte, quoniam Deus ipſe ſolenni edicto ſanxerat Deut. XVI 9. Dicitur alias *Feſtum Hebdomadum,*

ideo, quod Judæi ab azymorum festo 7. septimanas numerabant, iisque completis ἑβδομηκοστὴν h. e. diem quinquagesimum celebrabant. Dicitur porro *Festum Messis*. Ex. XXIII. 16. Quia in Palæstina inter Pascha & Pentecosten Messis incidit. Dicitur quoque *Festum primitiarum*, a frugum primitiis, quas Judæi in signum gratitudinis pro concessis frugibus Deo hoc festo offerebant. Hæ primitiæ frugum erant panes ex novella fruge cocti, qui in altare sub Dei conspectum positi, panes facierum Domini vel *panes propositionis* vocabantur. Ritus offerendi hos panes prolixe describitur, Lev. XXXIII. 15. Ratio ob quam Dominus instituit Pentecosten est quadruplex, & *primo quidem*, ut esset annua commemoratio Legis a Deo promulgatæ. Nam post primum Pascha die 50. Deus in monte Sinai fumigante, nubibusque contecto inter fulmina & tonitrua, legem tripartitam: 1. *Morum*. 2. *Rituum*. 3. *Juris Civilis* tulerat, quam promulgationem legis suæ Deus quovis anno in memoriam voluit revocare. *Secunda ratio* est memoria fundatæ Reip. Ebræorum. Hinc ipse Deus Deut. XVI. Memor esto, quod servus fuisti in Ægypto, quasi dicat: In Ægypto quasi mancipia habita fuistis, sed in Festo Pentecostes in libertatem civilem vindicati & lata lege forensi in unam rempubl. collocati estis. Cujus reip. quia Deus immediate fuit Monarcha, hæc ab antiquis novo nomine Deocratia fuit dicta. *Tertia* ratio conditi Festi Pentec. est, ut Judæi tempore Messis Deum frugum omnium datorem, primitiis frugum oblatis, recognoscerent. Et denique *quarto*, ut in Vetere Testamento illa Pentecoste typus esset Pentecostes N. T. quem typum S. Aug. eleganter exponit Epist. 118. ad Januar. In V. T. inquit: Occidebatur agnus, agebatur Pascha & die 50. dabatur Lex ad timorem Dei digito scripta. Sed in N. T. occisus est JEsus

quid primitia.

Schaubrodt.

Quare Fest. Pent. institutū.

Typus inter Pentec. V. & N. T.

JEsus Christus , qui velut agnus ad immolandum ductus. Inde jam agitur verum Pascha & die quinquagesimo Apostolis dabitur Spiritur S. ad charitatem.

FESTVM TVBARVM.

EX Dei instituto apud Ebræos totus fere mensis septimus, qui in nostrum fere Octobr. incidit, fuit feriatus ob *duas causas*. I. Quemadmodum septimus quisque dies in hebdomade erat Sabbathum, sic & septimum quemque mensem Deus in anno sibi sacrum esse voluerit , cum septenarius noster sit sacer & perfectionis nota. II. Ratio est , quod hoc septimo mense fruges jam in horrea essent collectæ, adeoque hoc anni tempus ad feriandum maxime erat commodum. Incidunt in mensem *Tisri* primo *Festum Tubarum*, qui Lev. XXIII. 24. ubi instituitur hoc festum. Dicitur *Festum Tubarum* , der Sabbath des Blasens ; & Num. XIX. 21. Ubi sacrificia hujus Festi recensentur der Trometen Tag ; alias communiter das Posaunen-Fest. Incidit porro in mensem *Tisri* Festum Expiationis , Tabernaculorum, it. F estum Concionis. Ratio ob quam Deus Festum Tubarum instituit , a Doctoribus varie redditur. 1. Alii existimant hoc Festo memoriam Isaaci celebratam, quem Pater Abraham Dei jussu mactare voluit , sed ab angelo prohibitus , loco Isaaci arietem immolavit Gen. XXII. 13. Atque hæc Rabbinorum sententia est , qui putant Tuba vel cornu arietino propterea hoc Festo clangi , quod aries inter frutice a Abrahamo pro Isaaco ostensus sit. 2. Alii existimant Deum hoc Tubarum clangore Judæis in memoriam revocare voluisse gravissima bella , quæ auspice Deo & duce Mose & Josua Ebræi contra Cananæos aliosque gentiles olim gesserant. Est enim tuba instrumentum bellicum,

Rationes ob quas Fest. Tub. a Deo instit.

cujus ſonu milites ad prælia inflammantur. 3. Alii exiſtimant hanc tubam fuiſſe indicem Eccleſiæ militantis, ut judæi meminiſſent omnis hominis vitam militiam eſſe ſuper terram, juxta illud Pœtæ :

Nunquam bella piis, nunquam certamina deſunt.

4. Alii exiſtimant hanc tubam fuiſſe typum prædicationis de Meſſia, quia Evangelium univerſum orbem perſonare debuit, juxta illud : Clama neceſſes quaſi tuba exalta vocem Eſ. LIIX. 15. Alii denique quibus nos ſubſcribimus, putant tubæ clangorem ipſis Calendis Tiſri-Menſis ideo per totum Iſrael fuiſſe auditum, quod hoc menſe feſta plurima eſſent, ad quorum obſervantiam Deus tubæ ſonitu populum voluit excitare, perinde ut hodie majoris Feſti indicium majoris campanæ pulſu dari ſolet.

FESTVM EXPIATIONIS.

EOdem menſe Tiſri die 12. Feſtum Expiationis fuit, cujus inſtitutio Lev. I. 16. extat. Hoc feſtum fuit generale expiatorium pro totius populi peccatis, neque ullum apud Ebræos fuit feſtum, cujus memoriæ paſſionem Chriſti magis expreſſerint. Nam 1. hoc feſto ſummus Pontifex ſolus omnia ſacra obibat, neque quisquam mortalium huic ſacro ſe admiſcere licuit. Ad eundem modum ſolus Chriſtus torcular iræ divinæ calcavit, neminem in conſortium adjuncto. 2. Summus pontifex S. Sanctorum ingredi volens, veſtes pontificiales exuit, & Sacerdotum veſtes ſacras & candidas induit, quod hic dies mœroris & jejunii eſſet. 3. Summus pontifex pro ſe ipſo & pro ſua domo juvencam obtulit, ut indicaret, ſe non verum eſſe illum pontificem, ſed hominem peccatorem & typum alterius gerere, cui non ſit neceſſe pro ſe ipſo ſacrificare.

Ebr.

Ebr. VII. 16.4. Ante tabernaculum vel templum pontifex inter hircos duos medius ſtabat , quorum alter fuit mactandus alter vivus dimittendus. Hi duo hirci duas Chriſti naturas denotant , quarum altera fuit occiſa , altera occidi nec potuit nec debuit. 5. Mactato altero hirco pontifex in ipſa S. Sanctorum ſolenniter fuit ingreſſus , idque non niſi ſemel quotannis ; Quem pontificis ingreſſum ad Chriſtum eleganter Apoſtolus applicat, qui ſemel ſacrarium manu non factum ingreſſus, æternam redemtionem invenit. 6. In ipſo Sancto S. thura accendit tanta copia , ut nebula thuris totum hilaſterium contexerit, ſimulque orabat, ut Ebræi tradunt, *primo*: pro bona tempeſtate, *ſecundo*: ne aufferetur ſceptrum de tribu Juda, *tertio*: ne quis in populo egeret , & *quarto*: deniq; ut Deus ſtultas preces hominum exaudiret. Copioſus hic fumus thuris denotat , magnam vim precum Chriſti unius noſtri Mediatoris. 7. Poſt hunc thuris ſuffitum ſangvinem Juvenci & hirci ſuper propitiatorium digitis ſepties reſperſit. Hæc ſeptena adſperſio indicavit fore ut Chriſtus ſepties ſangvinem ſuum effunderet. Digitus pontificis fuit index Spiritus S. de quo canit Eccleſia , quod Dei dextræ ſit digitus. 8. In Sancto S. ut Ebræi referunt, pontificem rem omnem paucis expedire oportuit , ne populus mali quid ominaretur , uti factum eſt Zachar. Luc. I. 22. 9. Rediens ex Sancto S. ſangvinem reſiduum aureo altari impoſuit , & manibus alteri hirco impoſitis eundem devovit & omnia populi peccata aufferenda impoſuit , ideoque dictus fuit Aſaſel, hircus dimiſſorius , quod abire promitteretur. De hoc hirco Aſaſel memorabilis eſt Ebræorum traditio. Tradunt nimirum Ebræi , quod hircus ille dimiſſorius fuerit in eremum abductus , ibique de excelſo monte præceps factus , is vero qui duxit , manu tenuit filum rubicundum , quod præcipitato hirco ſtatim albuit , ſi Deum

propitium haberet, ſed ſi rubicundum manſiſſet, indicium erat Dei adhuc irati. Cum albuerat, is qui hircum duxit, eorum cornu inflabat, quod cum cæteri longo ordine Hieroſolymam usque per viam diſpoſiti audirent, ſtatim unus poſt alium cornu ſuum ſimiliter inflavit, atque ita intra unam horulam per totam Palæſtinam propitius Deus innotuit. Verum ſi filum manſiſſet rubicundum, nullus ſonus dabatur, ſed univerſum Iſrael in luctum converſus, rigida jejunia continuavit, ut ita Deus iram ſuam deponeret. Hæc ita Ebræi. LXX. interpretes hunc hircum vocant ἀποπομπαῖον h. e. mali depulſorem, quo nomine Græci Deos ſuos communiter appellant. His peractis, pontifex manus abluit, veſtes pontificiales iterum induit, ſacrificia obtulit, ſed cadaver alterius hirci, qui Deo fuerat oblatus, extra urbem vel extra caſtra duci, ibique comburi fecit, quod indicavit fore ut Meſſias fieret ἀποσυνάγωγος & extra portas Hieruſalem crucifigeretur, prout ipſe Apoſtolus exponit Ebr. XIII. 12. Dum hæc ſacra fierent, populus ſtricto jejunio olim incubuit, quod Lev. XVI. 29. *afflictio animæ* dicitur. Ad quem locum Aben Eſra obſervat: Quotiescunque in ſacris afflictio animæ invenitur, toties rigidum jejunium denotat. Hodierni Judæi, cum neſciant quid Dominus cum ceremoniis innuerit, exiſtimant, Feſtum Expiationis in memoriam Moſcholatriæ ſibi condonatæ inſtitutum. Hinc Theodoretus quæſt. 32. in Lev. refert, ſua ætate Judæos hoc feſto non jejunaſſe, ſed hilares fuiſſe, cantaſſe. Sequitur jam

FE-

FESTVM TABERNACVLORVM.

EOdem menſe *Tiſri* die 15. Feſtum Tabernaculorum inchoari & per integrum ſeptiduum protrahi ſolebat. Inſtitutio hujus Feſti Lev. XXIII. 33. continetur. Sacrificia autem Num. XXIX. 12. enarrantur. Per hoc ſeptiduum immolabant vitulos 70. quod in orbe 70. lingvæ populorum crederentur, agnos immolabant 98. quod Ebræi putant factum contra maledictionem legis, quæ totidem in lege extant. Rabbi Aben Eſra Feſtum Tabernaculorum vocat Baſin omnium Feſtorum. Solebant eodem ramos arborum decerpere & ex iis Tabernacula ſubita & tumultuaria domicilia conficere & ad breve tempus exſtruere, quales fere Paſtores exſtruunt in ſylvis & milites in caſtris, atque ſub his tentoriis per ſeptiduum habitabant, quod eleganter ex Neh. 8. 14. conſtat. Porro Ebræi referunt eodem feſto ex ramis arborum faſciculos confectos, quos omni mane per ſeptem dies geſtabant, eumque qui ejusmodi faſciculum non portaret ab omni cibo prohibuere. Hinc idem feſtum Palmarum vel potius Salicum fuit dictum. His palmis vel faſciculis altare circumiiſſe dicuntur, quæ proceſſio memoriam captæ Hierichuntis ingeſſit, ut obſervat Paulus Fagius ad cap. 13. Lev. De cætero Andr. Oſiand. in notis ad Harm. Evgl. lib. 3. c. 36. memorat. Judæos ultimo die hujus Feſti peculiarem modum canendi non diſſimilem noſtræ Litaniæ uſurpaſſe, quæ Ebræorum Litania ex Pſ. CXIIX. oriunda eſt, ubi ſic dicitur: Ana Jehova Hoſianna h. e. quæſo Domine, ſerva quæſo. Erat autem hæc talis Litania; primo multa Dei notitia vel attributa conglomerabant & ſingulis Hoſianna addebant v. g. Omnipotens

Deus

Deus Hoſianna ; Miſericors Deus Hoſianna. Poſtea varias res nominabant, quibus addito Hoſianna bene precabantur v. g. templum electum Hoſianna, montem Moria Hoſianna, a quo poſteriores Judæi totum hoc feſtum Hoſianna nominabant. Quin & ipſos frondeos faſciculos, ex ſalice, myrto, & palmis collectus, quos manu geſtabant, itidem Hoſianna dixerunt. Hunc canendi morem jam Chriſti ævo fuiſſe docet ſolennis ejus ingreſſus in urbem, populo clamante : *Hoſianna in Excelſis* ! Hujus Tabernaculorum feſti ex gentilium ſcriptoribus Plutarchus in ſympoſiis ſuis problem 5. meminit & inter alia refert, quod Judæi hoc Feſto per ſeptiduum ſub Scenis & Tentoriis habitaverint, quæ ex palmitibus & hederis fuerint contexta, & quod menſas variis frugibus plenas propoſuerint & per hos dies genialiter vixerint. Unde putat Plutarchus, Judæos more gentilium hoc feſto Bacchi ſacris initiatos eſſe, & hæc Judæorum Bacchanalia fuiſſe. Sed vera cauſa feſti Tabernaculorum erat, ut Judæi Majorum ſuorum reminiſcerentur, qui ex Ægypto egreſſi in tentoriis, in caſtris, in tabernaculis per integros 40. annos habitare fuerant coacti, & ut maximas Deo gratias agerent, cujus beneficio jam non amplius in ejusmodi Tentoriis, ſed in ampliſſimis domibus terræ Canaan habitarent. Venerabilis Beda aliquid Myſtici ſubeſſe putat, nimirum cogitandum eſſe, quod nos omnes in mundo velut in tabernaculo peregrinemur, nec manentem civitatem hic habeamus, ſed futuram in cœlis æternam non manufactam.

FESTVM CONCIONIS.

CConcionis Feſtum completo Feſto Tabernaculorum agi ſolebat, eratque velut octava illius Feſti, cujus tanta fuit ſolenni-

ſolennitas, ut Joh. VII. 37. dies omnium ſolenniſſimus appelletur. Hebræi tria nomina huic Feſto tribuunt. Nam 1. vocant *Feſtum Concionis ſive Collectionis*, quod hoc die populus in unum collectus, pro frugibus in horrea jam collectis Deo gratias ageret. Vocant 2. *Feſtum Retentionis*, quod poſt Feſtum Tabernaculorum, populus uno adhuc die ad conferendam pecuniam in uſus ſacros retineretur, 3. *Feſtum Prohibitionis*, quod eo die populus ab omni opere ſervili prohiberetur. Hoc Ebræorum Feſtum Ethnici ſunt imitati, teſte Cælio Rhodigio lib. 12. Antiquit. Lect. 1. c. 19. Apud hos enim ſimiliter erat receptum, ut frugibus ex agro jam ſubvectis, gratias diis agerent, primitias afferrent, ſimulque Deos rogarent, ut ſtato tempore campi denuo vireſcerent, & læta ſata progerminarent. Quod, quia Græce dicitur θάλλειν, Ethnici hoc feſtum *Thaliſia* vocarunt.

SABBATHVM ANNI SEPTIMI.

QVemadmodum Deus per hebdomadas, ſeptimum quemque diem & quovis anno ſeptimum quemque menſem; ita etiam ſeptimum quemque annum ſibi ſacrum eſſe voluit. Hoc anno agri omnes inculti fuerunt relinquendi, neque a creditoribus, ſi qui ſolvendo non eſſent, debita exigenda, imo erant remittenda. Unde annus iſte annus *dimiſſionis* ein Erlaß-Jahr dicitur Deut. XV. Quod eodem agri feriarentur & debita remitterentur. Exiſtimat quidem Auguſtinus, licuiſſe Judæis olim hoc anno agros conſerere; ſed fructus omnes pauperibus eſſe relinquendos. Verum ſi verba legis divinæ Lev. XXV. 2. & ſeqq. accu-

rate

rate ponderemus, nemini Judæorum integro hoc anno vel ſerere vel metere licuit, quod & obſervat Theodorus, quæſt. 25. in Lev. Dicis: Interim Deus voluit, ut pauperes ex agris colligerent, ſed ſi nullus ager fuit cultus, quæ fuerunt pauperum collectæ? R. 1. Ex granis & ſpicis inter metendum præterito anno delapſis, ſæpe non ſpernendam meſſem enatam. 2. Juſſiſſe Deum, ut pauperes non ex agro tantum, ſed & vineis & olivetis, quæ ſua ſponte creſcunt, victum ſibi neceſſarium colligerent. Interim ne Judæi hoc anno de victu nimis anxii eſſent, Deus eandem magnificis promiſſis ſtipavit; ſe nimirum fructus anni ſexti duplicaturum. Ratio 1. ob quam Deus integrum hunc annum feriatum eſſe voluit, imprimis hæc eſt, ne terra aſſidue exercita nimium exſugeretur, tandemque ſterilis fieret. Quem annum, agris quietem conducere Virg. teſtatur 1. Georg.

Altetnis annis, tonſas ceſſare novalis,
Et ſegnem permitte ſitu dureſcere campum:
Nec ulla interea eſt inaratæ gratia terræ.

Altèra ratio erat, ut Judæi eodem hoc anno quatuor rerum meminiſſent. 1. Datoris frugum. 2. Beneficentiæ erga pauperes. 3. Status innocentiæ, in quo, ſi primi Parentes manſiſſent, terræ ſuos fructus ſua ſponte tuliſſent & 4. æterni Sabbathi, quod poſt expleta ſex millia curricula, in cœlis futurum ſperamus.

JVBILÆVS.

PRæter Feſta jam recenſita ex divina inſtitutione Lev. XXV. 10. quinquageſimus quisque annus, Deo fuit ſacratus. Hoc anno non debita tantum erant remittenda; ſed omnes ſervi manumittendi & libertate priſtina donandi,

nandi, quin & omnes res venditæ præsertim immobiles, e. g. ager, vineæ, domus, ad pristinos Dominos redierunt. Neque enim Judæi cuiquam omne jus suornm agrorum vendere poterant; sed tantum usum fructuum usq; ad annum 50. Denique & eodem Jubilæo carceres omnes fuere aperti & captivi dimissi. Dicitur *Jubilæus* ab Arabica voce *Jobel*, quæ notat 1. *arietem*, 2. *cornu arietinum*, 3. *clangorem*, qui tali cornu editur. Ratio appellationis hæc est: quod annus Jubilæus tuba vel cornu arietino die X. mensis *Tisri* fuit indictus. Causa ob quam Deus instituit annum Jubilæum triplex est. 1. Ne familiæ in Israel confunderentur, maxime illæ ex qua Messias debuit nasci. Servi enim apud Veteres de una tribu vel familia in alteram transibant, sed anno 50. unusquisque servorum, ad suam familiam redibat. 2. Causa est, quod Deus pauperibus, Jubilæi spem melioris conditionis facere voluerit. Nam hoc anno singuli distracta sua bona gratis recipiebant & 3. Jubilæus erat Judeorum *Epocha*, in quam apud Ebræos tempora fuerunt distincta, perinde ut Græcorum Olympiades, Latinorum lustra.

Unde dicatur Jubilæus.

Causa instituti Jubilæi.

FESTA RELIQVA.

FUerunt hactenus *Festa Stativa*, quæ in V. T. Deum ipsum habent autorem: Jam ad Festa Conceptiva progredimur, quæ Judæi pro suo arbitratu ac devotione instituerunt. Inter hæc eminent *jejunia quatuor anni mensium*, quorum mentio extat Zach. IIX. 9. Ubi Deus promittit, se velle hæc jejunia in jucundas ferias & in dies gaudiorum convertere. Ubi notetur, ante captivitatem Babylonicã Judæos nulla festa conceptiva habuisse, sed contentos fuisse diebus festis a solo Deo conditis. Proinde feriæ conceptivæ

Jejunia 4. anni mensium.

Quando inceptæ feriæ conceptivæ.

ptivæ omnes vel tempore ipsius captivitatis vel post eam cœperunt. Certa jejunia illa quatuor mensium omnia fuerunt condita, in memoriam calamitatum, quas Judæi à Chaldæis erant perpessi. Hinc 1. jejunium fuit *Obsessæ Hierosolymæ.* 2. *Occupatæ urbis.* 3. *Urbis desolatæ* & 4. denique vocabatur: *Jejunium Godoliæ.* Fuerat hic *Godolius* Præfectus Judæorum, qui adhuc in Palæstina supererant relicti, cum cæteræ tribus in captivitatem essent abductæ. Sed & Godolius tandem fuit occisus, quo sublato, residui Judæi omnes in Ægyptum aufugerunt, eoque toto Palæstina fuit Judæis exuta, cujus rei memoriam annua jejunia, Godolia dicta, egerunt. Porro notetur Christianos hac in parte Synagogam imitatos, Judæorum exemplo similiter jejunia quatuor temporum, quæ adhuc agere solemus, instituisse, ideo, ut totus annus cum singulis suis quadrantibus, Deo consecraretur. His quatuor jejuniis Judæi, duo alia addiderunt, quorum alterum fuit, *jejunium Esther*, in memoriam triduati jejunii quod regina Esther egit, cum regem suum accedere & pro popularibus suis intercedere vellet. Alterum fuit *Jejunium fractæ Legis.* Nam cum Moses de monte Sinai reversus Judæos vitulum adorantes cerneret, ita commotus, Tabulas Decalogi bipartitas, Deique manu consignatas, manibus projecit, & solo allidens confregit, cujus fractionis memoriæ, Judæi jejunium dicabant. Præterea Judæis solenni fuit festum *Purim* die 14. mens. *Adar* cum jubilo & inter convivia agi solitum. *Purim* est vox Persica, quæ sortilegium denotat. Tradunt enim Hebræi, quod impius Haman cum Judæos omnes uno quasi ictu tollere meditaretur, sortes in urnam injecerit, ut exploraret, quis mensis & quis dies Judæis omninosus esset: Scisciţans porro, diem elicuit 14. mensis *Adar*, hunc ergo publicæ Judæorum lanienæ, per totum Orientem destinavit,

Jejun. Esther.

Jejun. fractæ Legis.

Festum Purim.

vit, & ab hoc Hamanis ſortilegio hoc feſtum Judæi *Purim* vel *Sortium* nominabant. Refert iſta Scal. lib. 6. emendationis temporum. Idem Feſtum Mac. XV. 37. dicitur *Feſtum Mardochaicum*, ideo quod inſtinctu Mardochai in memoriam admirandæ liberationis fuerit reſtitutum. Alias Mardochæus non creditur autor hujus feſti, ſed tradit Funccius ex Philone, verum autorem feſti *Purim* fuiſſe *Jojakim* filium ſummi ſacerdotis Joſuæ; cujus mentio fit Nehem. XII. 26. Hic *Jojakim* non tantum hujus feſti autor ſed & libellum Eſther conſcripſiſſe fertur. Porro celebre fuit apud Judæos Feſtum ξυλοφοριας, ſitum, in comportandis lignis, unde ignis ſacer, quem noctu & interdiu in templo ardere oportuit, aleretur. Elegans hujus Feſti deſcriptio extat Neh. X. 14. & apud Joſeph. lib. II. bell. Jud. cap. XVII. Hic ſcribit: *Imminebat Feſtum, quod ξυλοφοεία dicitur, in quo omnes grandem lignorum ſtruem, ad templum convehere ſolent; ne unquam pabulum deſit igni, qui inextinguibilis eſt.* Denique apud Ebræos ſolennes fuerunt *Encœnia* vel *Dedicationes templi.* Ubi notandum, Judæos, in Vet. Teſt. multis vicibus *Encœnia* tractaſſe & 1. quidem dedicatio Tabernaculi ſub Moſe exſtructi fuit, quod portatile templum, quo ritu ſit dedicatum, legere eſt Exod. IV. v. 11. 2. Dedicatio fuit Templi Salomonis tam magnifice exſtructi, ut inter mundi miracula recenſeri potuerit. Actum eſt hoc Feſtum ab ipſo Salomone ſolenni prece & multis hecatombis. Reg. VIII. 13. 3. Dedicatio fuit templi per Chaldæos quidem deſtructi; ſed a Zorobabel ejusque ſociis reſtaurati & denuo ſactificati, cujus ſolennia referuntur Eſr. VI. v. 16. 4. Eaque ultima templi dedicatio, unde annua Encœnia Judæi acceperunt, contigit, ſub Juda Maccab. qui idolum Jovis, templo ab Antiocho illatum, diruit, combuſſit, Templumque reſtauravit, altare Dei Iſraelis iterum didi-

Libellum Eſther Jojakim ſcripſiſſe fertur.

Feſtum ξυλοφοριας

Encœnia.

cavit, & omnium primus instituit, ut memoria Templi à se dedicati & repurgati, annuo festo honoraretur per octiduum, ut legere est 1. Maccab. II. 16. Hujus Encœniorum Festi & in Nov. Test. fit mentio Joh. X. 12. Joseph autem lib. 12. Antiquit. Jud. c. 11. ubi prolixe Encœnia describit, vocat *Festum Luminum*, ideo quod Judæi hoc Festo ad parietes Templi lumina passim suffigerent.

SACRIFICIA HEBRÆORUM.

Sacrificium quotuplex.

SAcrificium, hoc est immolatio animalis in Dei cultum, juxta ipsius Dei præscriptum facta in Vet. Test. in qua, hæc de sacrificiis doctrina utramque fere paginam complet, erat triplex, aliud *Holocaustum*, aliud *Pacificum*, aliud *Expiatorium*. Holocaustum dicitur Sacrificium, quod excepta pella sacerdotibus danda, totum cremari oportuit, in signum, totum hominem, & anima & corpore Deo obnoxium esse Germ. ein Brand-Opffer. Hoc sacrificii genus porro bifariam dividi potest. Nam 1. *ratione temporis*, aliud erat *quotidianum*, quod singulis diebus erat offerendum, ideoque *sacrificium juge* appellabatur. Aliud erat *solenne* quod præter juge, diebus Festis & Sabbathis offerri solebat. 2. *Ratione Offerentium*, aliud Holocaustum pauperes, aliud mediocres, aliud divites offerrebant. Et divitum quidem holocaustum erat bos; hominum mediocris fortunæ, ovis vel hœdus; Pauperum denique turtur, columba. Sola enim quinque animalia Deus in holocausta elegerat.

1. *Holocaustum.*

Holoc. duplex.

Quæ animalia sacrificãda.

Bos erat typus invictæ fortitudinis Christi. *Ovis* innocentiæ Christi. *Hœdus*, referebat formam peccatoris,

ris quam Christus assum sit. *Turtur*, arctam fidelium cum Christo unionem, & *Columba* denique mansvetudinem Christi, ejusque fidelium denotat, prout Venerabilis Beda exponit cap. XXIIX. Num. ubi de holocaustis prolixè agit. Hoc adhuc memorabile est, quod holocausta versus septentrionem fuerint mactanda, quod præfiguravit, non tam Christi crucem, quæ ipsa respectu Hierosolymæ versus septentrionem spectavit, sed & prænotavit, fore ut nos septentrionales populi ad Christum converteremur, prout exponit S. Cyrillus in libro de aderatione in Spiritu.

Quare holocaust. versus septentrionem fuerint mactanda.

Secundi generis sacrificia erant hostiæ *pacificæ*, quas Ebræi *hostias salutis* vocant, ideo, quod pro salute & beneficio a Deo impetrandæ, aut jam impetrato, agerent. Joseph. lib. 3. Antiquit. Jud. c. 10. de Leg. Sacrif. Hoc sacrificii genus θύσιαν Εὐχαριστικὴν dixit, ideo quod per eam gratiæ Deo agerentur pro beneficiis acceptis. Rabbi David Kimchi, vocat *hostiam plenitudinum*, ideo, quod omnium voluntatem expleret, Dei, Sacerdotis & Offerentis, quia singulis illis aliquid ex hac hostia dabatur; Deo quidem sangvis & adeps, imo in hoc sacrificio Deus pingvissima quæque popos:it. Sacerdoti dabantur Pectus & Armus. Offerenti denique, caro & pellis reliqua. Erat autem duplex *Sacrificium Pacificum* alterum *Laudis* & *Confessionis* quo offerens publice confitebatur, se a Deo ingens beneficium accepisse, ideoque bonitatem datoris laudare, eique gratias solennes agere. Græci vocant θύσιαν Τῆς αἰνήσεως, Lutherus reddidit ein Lob-Opffer. Causa offerendi erat, v. g. si quis ex gravi morbo liberatus fuisset, vel ex carcere evasisset, vel naufragio emersisset, vel ex conjugio hactenus sterili prolem suscepisset. *Aliud Sacrificium* erat *Votivum* sive *spontaneum*, cum offerens beneficium, a Deo quidem nondum acceperat, sed se accepturum sperabat, eoque nomine sacrifi-

2. Pacificum.

Sacrif. Pacif. duplex. Laudis & Confessionis.

Sacrif. Pacif. vel Votivum vel Spont.

sacrificium sua sponte offerebat in confirmationem spei suæ, & ut Deum datorem fidelem invenerit. Videatur schola Sacrificiorum Patriarchalium Frantzii Disp. I.

3. Expiatorium.

Tertii geueris sacrificia erant *Expiatoria*, hæc iterum in duplici erant differentia, alia enim *pro peccato*, alia *pro delicto* offerebantur, quæ quomodo differant, inter eruditos varie disputatur. Ex nostra sententia Sacrificium pro peccato erat, quod præter sacrificium Deo offerendum, nullam erga proximum obligationem habebat, nec in vita civili aliam expiationem requirebat, v. g. Si quis immundos cibos comedisset vel cadaver tetigisset, vel se ipsum devovisset, pro ejusmodi excessibus apud Deum expiandis, sacrificium pro peccato erat. Sed sacrificium pro delicto erat sacrificium, ad expianda quæ præter sacrificium Deo offerendum obligationem erga proximum habebant, v. g. Si quis proximo depositum negasset, furtum retinuisset, calumniam sparsisset, huic non satis erat, Deum hostia expiare, sed & proximo satis facere sibiq; eum reconciliare oportuit. Ratione offerentium sacrificia Expiatoria erant bipartita; aliud enim summus Sacerdos pro suo & populi peccato expiando offerebat, nempe vitutum de quo supra in Festo Expiationis; aliud offerebat Princeps, nempe hircum, ut hircus passionis Dominicæ innueretur. Sicuti enim hirci sangvine scabricies tolliur, ictusque scorpionum sanatur, adamas frangitur, ferrum induratur; test. Plin. lib. 28. Hist. Natural. Ita per sangvinem Domini Jesu Christi pruritus peccandi tollitur, Tartari Draconis ictus sanatur, portæ inferorum confringuntur & corda nostra solidantur. Aliud denique sacrificium Expiationis vulgus, quos eleganter scriptura *filios terræ* vocat, offerebat, nimirum capream lactantem,

Sacrific. propeccato & pro delicto quomodo differant.

Hircus elegans typus Christi.

MIN-

MINCHA.

Mincha apud Ebræos erat ſacrum frumentarium, oblatio dapalis vel Sacrificium ciborum, Germ. ein Speiß-Opffer / conſtabat novella frugum, vel farina vel panibus. Ad omnem porro Mincham tria fuerunt neceſſaria, 1. *Oleum*, quo Iſraelitæ uſi ſunt prout nos hodie butyro. 2. *Thus*, cujus in omnibus ſacris non Judæorum tantum ſed & gentilium uſus fuit celeberrimus. 3. *Sal*, quod propterea ſal fœderis vocatur. Cæterum minchæ ſpecies erant tres. Primo: Ex primitiis vel ex ſpicis & granulis novarum frugum. Oportuit autem ſpicas iſtas virentes & tales eſſe, ut ſunt ſpicæ, quæ tempore meſſis colliguntur Lev. II. 1. Secunda ſpecies Minchæ erat ex farina nondum cocta, nec in panes redacta. Hæc Mincha communiter appendix ſacrificiorum erat, & tantum tota comburebatur; ſed ſi ſeorſim offerretur, pars tantum farinæ fuit combuſta, pars reliqua ſacerdotibus ceſſit. Tertia ſpecies erat de farina jam cocta, vel de panibus, quos tamen omnes azymos eſſe oportuit. Hi panes iterum erant in triplici differentia. Alii cocti in clibano erant tenues placentulæ, quas latine *Lagana* vocant, alii erant cocti in ſartagine. *Sartago* autem in Tabernaculo erat inſtrumentum frixorium, non profundum, ſed planum, in quo Mincha ad ignem erat torrefacta & indurata: alii panes erant cocti in Cacabo. *Cacabus* erat vas rotundum, in cujus fundo oleum erat, ita ut maſſa injecta ab igne quidem coqui, ſed non torrefieri poſſet. Joſeph. I. 5. Ant. cap. 10. De hac ultima Minchæ ſpecie, quæ pane conſtat, natum eſt duplex ſacrificium: quorum alterum *Elevationis* dictum Germ. ein Heb-Opffer. Nam panes ita ablati non ſolebant comburi, ſed coram Domino elevari & agitari. Si ſur-

Neceſſaria requiſita ad Minchã.

Tres ſpecies Mincha.

Sartago quid?

Cacabus quid?

sum elevarentur, denotabant, hos jam Deo reconciliatos esse. Ab hoc ritu elevationis in Vet. Test. nullus dubito, quin in Nov. Test. mos elevandi hostiam in Ευχαριστια sub Papatu cœperit; præsertim ex quo Ευχαριστια pro sacrificio haberi cœpit. Alterum fuit sacrificium *agitationis* ein Web-Opffer / tale erat, cum sacerdos panes oblatos non quidem sursum tolleret, sed in altari ab ortu versus occasum, & a meridie versus septentrionem ageret, quæ agitatio panum indicabat, Deum omnium mundi partium adeoque totius universi Dominum esse. De his videatur Exod. XXIX. & ad idem cap. Pauli Fagii Annotationes.

Unde mos elevandi hostiam in Papatu

TECTA ORIENTALIVM.

JUsserat Deus Deut. XXII. 8. Si quis novam domum extrueret, ut tectum muro cingeret per circuitum, ne quis tecto decidere posset, hoc loco studiosi S. antiquitatum observabunt apud Orientales tecta domorum non cacuminata, vel in cacumen fastigiata, sed fere plana fuisse, ideoq; Deus dicto loco mandat, ut eadem peribolo loricato, ad vitandum lapsus periculum circumdarentur. *Peribolum* Græci thecam vocant vel coronam, non quod præcise rotundum esset, sed quia Græci omnem limbum, qui prominet, vel summitatem alicujus rei, coronam appellant. Tecta ipsa vocabantur δώματα, solaria, cœnacula, ob varios usus quos præstabant. Nam ob planiciem ita erant fabrefacta, ut quis in iis ambulare, epulari, dormire & alia id genus satis commode posset. Hinc Tecta orientalia multo plures usus habuere quam nostra. Nam primo erant quasi cubicula & dormitoria. Ita vespera erat cum Davide cubiculo

peribolũ quid?

surge-

ſurgeret, & ex tecto ſui Palatii Bathſebam in horto lavantem conſpiceret, & ad ſecum dormiendum accerſeret. 2. Sam. II. 14. Iſidorus vocat hunc locum ſolarium. Solarium inquit, erat unde David Batſebam conſpexit & adamavit, quod ſoli & auræ patuit. Erant ſecundo Tecta Orientalia lugentium feceſſus, uti videre eſt Eſa. XXII. 1. Ubi vallis viſionis, h. e. Hieruſalem, ob nimium luctum, ſuper domuum tecta fertur aſcendiſſe. Erat nimirum mos lugentium in Oriente, ut in biviis ac triviis, vel in tectis luctum agitarent, quo magis ille in publico conſtaret. Hinc Deus Moabitis minatur, quod ipſorum tecta velit luctu implere, Jer. XLIIX. 38. Tertio: Tecta Orientis erant latebræ domus, ubi in metu vel periculis poſiti, ſeſe abſconderent. Exemplum præbent explorarores a Joſua in terram Canaan emiſſi, quos meretrix Rahab ſuper tecta in culmis lini abſcondit. Joſ. II. 17. Quarto: Tecta in Oriente colloquii cauſa adſcendi ſolebant, quod exemplo Samuelis docemur, *qui volens poſt cœnam cum Saule colloqui, in* tectum aſcendit. 1. Sam. IX 25. Quinto: Tecta illa erant, quaſi Theatrum e quibus proſpicerent, quem uſum non tantum apud Judæos, ſed & Ethnicos habuerunt. Ita enim Claudianus de ingreſſu Stiliconis refert. l. 2. Plebe vias & tecta *fuiſſe* repleta. Similiter Statius lib. 2. Thebanos attonitos, ex culmine tecti proſpectaſſe. Refert & Virg. 12. Æn.

Mos lugentiũ in Oriente.

Invalidosque ſenes turres & tecta domorum
Obſediſſe. --- --- ---

Præterea (ſexto) in Tectorem divinam fecerunt, hinc Deus conqueritur, quod Judæi ſuper tectis thura aſtris adoleverint, Jer. XIX. 13. Quem morem ſacrificandi in tectis apud cæteras gentes non invenimus: Sicut huic ſimile reperitur, quod Abſolon Patris ſui pellices ſtupraturus, non

in ſecretum domus receptum, ſed palam in ipſo tecto ſpectante univerſo populo, rem pudendam fecerat. Videtur (ſeptimo) Mos fuiſſe prædicandi in tectis, quo alii referunt verba Chriſti Matth. X. 27. *quod in aurem vobis dico, prædicate vos ſuper tecta.* Ad quem locum Venerabilis Beda ſcribit: Quod ait Dominus, *prædicabitur in tectis*, juxta morem Paleſtinæ, ubi in tectis ſedere poterant. Denique (octavo) ægroti interdum ad tecta deferebantur, ut temperato calore mollique aura reficerentur, quia noctu imprimis apud Palæſtinos zephyrus ſvaviter flabat. Ex jam dictis ſimiliter intelligitur locus Matth. IV. Ubi Servator a Diabolo εἰς τὸ πτερύγιον vel in Pinnaculum templi ductus fertur, qui locus bifariam ſolet exponi. Alii putant per τὸ πτερύγιον, intelligi angulum tecti, nam ut quodlibet tectum apud Judæos quadratum erat, ſic & quatuor angulos habuit, quos Græci πτερύγια dixerunt. Et in hujusmodi angulo, Dominum a Diabolo conſtitutum. Alii vero per τὸ πτερύγιον totum tecti ambitum intelligunt. Nam ut reliquæ domus, ita & templum habebat planum tectum, cancellis cinctum, ne quis poſſet decidere. Obſervat tamen Conſtantinus Lempereurus in codice Middoth: Templum Hieroſolymitanum, in ſuperficie tectum non omnino planum habuiſſe, ſed non nihil cameratum & paulúlum devexum. Denique circa Tecta Orientalium notari merentur elegantes Metaphoræ, quæ in ſacris literis ab ejusmodi tectis deſumuntur. Ita impii Eſ. XXXVII. 27. conferuntur cum gramine, quod in tecto naſcitur. Ideo, quia hoc gramen propter loci ariditatem & quod ſoli ſemper ſit expoſitum facile areſcat. Similis comparatio Pſ. CXXIX. 6. Nec minus eleganter in Novo Teſtamento Syrus interpres lunaticos vel noctambulones vocat *filios tecti*, non ideò, quod Spiritus lunaticus homines tectis ejiciat in loca de-

Loc. Matth. IV. Ubi Diab. Chriſtum duxit in pinnaculum.

deſerta, ſed quod intra domus extra conclavia ſua in tecta vel ſuperiora domus agat. Vid. Jacob Horſtius de noctambulonibus, ſed de tectis Orientalium plura apud Caſaubonum lib. IV. Athæn. videantur.

VRIM & THVMMIM.

JUbet Deus Exod. XXIIX. 4. Pectorali Pontificis *Urim* & *Thummim* inſerere, quæ qualia fuerint tam profundæ eſt antiquitatis, ut Doctiſſimi quoque Viri fateantur, ſibi id non conſtare, vel ſaltem in ſententias maxime diverſas diſcedant. Pectorale, in quo ponendum fuit *Urim* & *Thummim* Ebræis dicitur חשן quod LXX. Interpretes reddunt λογεῖον. Sed hoc iterum bifariam exponitur. Juxta alios λογεῖον eſt vatidicum, quia per hoc pectorale Deus oracula reddebat. Alii λογεῖον vertunt rationale & inter hos eſt Vulgatus interpres. Ratio nominis eſt, quod pectorale iſtud cum reſponſum redderet, uſum rationis habere videretur. B. Lutherus reddidit das Schildlein / quia clypeoli formam referebat. Piſc. vertit ein Bruſt-Tuch / quia in pectore S. Sacerdotis e regione cordis erat poſitum. Ipſum Hebraicum nomen חשן alii a radice חשה i. e. tacuit derivant, quia per hoc pectorale, Deus res tacitas vel abſconditas revelabat. Alii deducunt a radice נחש i. e. divinavit, quia per pectorale Pontifex divinare ſolebat. In hoc quod dixi pectorali erant juxta numerum tribuum Iſraelis XII. gemmæ vel lapides pretioſi affabre diſpoſiti. His gemmis nomina ſingularum Tribuum juxta ac Patriarcharum erant inſculpta. In medio autem pectorali שם המפורש vel nomen Dei abſconditum extabat, qua de re Rivetus in Exodum videatur. Sed unde dicuntur *Urim* & *Thumim*? Hieronymus reddidit: *Doctrinam* & *Veritatem*

tem sed Etymologiam non addidit. Bellarminus autem inepte *Urim* deducit a יָרָה docuit & Thumim ab אָמַן credidit, quo nomine Philologis risum dediit. Rectius Urim deducimus ab אוֹר illuxit, *Thummim* a verco תָּמַם perfecit, ut proinde *Urim* & *Thumim* idem sit quod *lux* & *perfectio*, Luthero interprete Licht und Recht. Quis porro insignis hujus in pectorali Pontificis Autor fuerit, eruditi dissentiunt. Nam Ariæmontanus in suo Aarone, negat, hoc insigne χειροποιητὸν vel hominis manufactum, sed existimat, ab ipso Deo immediate elaboratum, Mosique traditum perinde ut de ancilibus Numæ, Ethnici fabulantur. Verum non video unde hoc probari possit, imò non video quid incommodi subsit, si hoc insigne ab eodem artifice, qui cætera ornamenta sacra fabrefecit (Bezaleel) dixeris confecta.

Quod attinet ad usum, quem *Urim* & *Thummim* habuit sciendum est, sub hoc insigni singularem speciem divinæ revelationis in Vet. Test. contineri, & per *Urim* & *Thummim* oracula olim reddidisse ut patet ex variis Legis Exod. XXIIX. 4. Num. XXVII. 21. 1. Sam. XXIIX. 6. Quo autem modo Deus per *Urim* & *Thummim* responderit, varie disputatur. Alii putant, Deum artifici sacris vestibus induto, quoties ille ad *Urim* & *Thummim* oculos converterit, per internum colloquium respondisse, & revalasse omnia, quæ scire intendit, atque hæc sententia Clariss. Riveto placet ad c. XXIIX. Exod. Alii putant, inter quos est Josephus lib. 3. Antiq. c. 9. ex XII. gemmis, quæ erant in pectorali, mirabilem splendorem promicuisse, quæ Dei respondentis fuerit index. Hinc B. Lutherus Num. XXVII. 21. ad marginem notat. Man saget/wann GOTT auff des Priesters Frage habe antworten wollen / daß es soll Ja seyn / so habe das Urim Glantz von sich gegeben. Es haben auch hernach die Könige gebraucht/ wenn sie GOTT

um

um Rath gefraget. Ut de Saule 1. Sam. XXIIX. 6. & de Davide 1. Sam. III. 8. conſtat. Alii denique exiſtimant, cum Deus per *Urim* reſpondiſſet, non gemmas tantum coruſcaſſe, ſed & literas in pectorali ſingulariter promicuiſſe, e quibus conjunctis, Dei reſponſum quaſi legi potuerit. Hinc Rabbam ſcribit. Interogat ſacerdos, v. g. aſcendam in prælium? tum e veſtigio S. Sanctus Pontificem afflat, qui oculis in pectorale conjectis ibidem literis prominentibus: Aſcende vel non aſcende. Porro indagandum eſt, quale inſigne fuerit *Urim* & *Thumim!* Sed nec hoc dubio caret. Alii enim ipſum Pontificis pectorale ſic vocant; ſed quomodo tantum diceret: *pone in pectorale Urim & Thumim?* Exod. XXIIX. Unde conſtat *Urim* non fuiſſe ipſum pectorale, ſed aliquid in Pectorali. Alii ſtatuunt *Urim & Thumim* Tetragrammaton יהוה quod majusculis literis fuit inditum. Atque hæc ſententia eſt Pauli Fagii Exod. XXIIX. Verum Augiſtinus exiſtimat, ipſas hac voces *Urim & Thumim* parvis literis, in pectorali ſcriptas fuiſſe, uti in Pontificis Tiara poſitum erat: *Sanctitas jehovæ.* Atq; hæc ſententia eſt Cornelii a Lapide. Alii exiſtimant, in pectorali fuiſſe duas gemmas ſplendidiores, quarum altera *Urim* altera *Thumim* fuit dicta. Nos B. Lutherum ſecuti ſtatuimus, ipſas illas duas gemmas in pectorali Aaronis junctim ſumtas, hoc nomine dictas. *Urim* h. e. lucem ob mirabilem ſplendorem, quem de ſeſe evibravit. *Thumim* vero h. e. perfectionem ideo quod ex iis mens ambigua perfici, & in rebus dubiis, quid ageret, certior fieri poſſet. Supereſt, ut doceamus, quando hic revelandi modus per *Urim & Thumim* in Vet. Teſt. deſierit. Ad id rectiſſime Ameſius ad Cap. XXIIX. Exod. reſpondet hoc modo: Erant quinque adoranda, *Arca, Cherub, Ignis, Divinus Spiritus, Urim,* quæ in ſecundo Templo nusquam comparuerunt, ubi tamen

men non est putandum, quod hæc quinque simul & semel, in secundo Templo cessaverint; sed quod paulatim & successive. Nam de *Urim* & *Thumim* adhuc secundi templi tempore fit mentio in sacris v. g. in libro Esræ c. II. 36. Neh. VI. 65. Verum valde mihi probabilis sit sententia Cunæi, qui l. 2. de rep. Ebræorum c. 2. ita scribit: Hi Lapides *Urim* & *Thumim* a Josia in priori templo fuerunt absconditi, nec in Secundo iterum reperti, sed tempore secundi templi Judæi alios lapides confecerunt ad imitationem priorum, ideoque *Urim* & *Thumim* dictas non quod Deus per ipsos Oracula amplius redderet, sed ut ornatus Pontificis etiam quoad hanc partem integer esset. Alias Jos. lib. 3. Antiquit. c. 9. scribit duobus ante seculis, quam ipse hæc scriberet, *Urim* & *Thumim* deperdita fuisse.

SECTIO II.

Antiquitatum Sacrarum
Ex
PROPHETIS.
CAVPONISSÆ.

Jos. II.

CUm Josua Exploratores in Terram Canaan misisset, hi domum mulieris intrasse dicuntur, quæ fuerit Zonah זוֹנָה hæc vox cum geminam habeat radicem, alteram זָנָה h. e. scortari, alterum זוּן h. e. cibare, ab interpretibus bifariam quoq; accipitur: Alii enim hanc mulierem

Rahab

Rahab non putant ſcortum fuiſſe, ut B. Lutherus reddidit, ſed hoſpitam, quæ hoſpites advenientes domo ſua ſuſceperit, iisque pro mercede cibum miniſtraverit. Atque hæc ſententia eſt Rabbinorum fere omnium, qui turpe cenſent ſtatuere, quod Exploratores ad domum meretricis diverterint & ab ea beneficio ſint affecti. Verum exiſtimo, Rahab utrumque munus & meretricis & cauponiſſæ ſuſtinuiſſe. Nam apud gentiles cauponiſſæ non convivas tantum tecto, ſed & eodem ſæpe lecto peregrinos excipere ſolebant. Hinc communiter *diverſoria*, quaſi *aphrodiſia* ſunt habita, uti loquitur Philoſtratus in Ep. ad Proſpitam. Quin & ob hanc cauſam *Pandochea* erant infamia, ut obſervat Caſaubonus in not. ad Theophr. Scribit ad hunc locum Jos. 2. Johannes Brentius, *Zonah*, propriè ſcortum ſignificat, deinde & hoſpitam denotat. Ego exiſtimo, hoc hominum genus honeſtum olim fuiſſe, donec hæ mulieres hoſpitibus ſuis non victum ſolum, ſed & corpora ſubminiſtrarent. Ab hoc tempore hujusmodi loca infamia fuerunt, quemadmodum Romanorum popinæ, ganeæ & cauponæ. Juxta Lexicon Forſteri *Zonah* dicitur Lotrix, Cauponaria & publica meretrix, ideo, quia lotrices & cauponariæ antiquitus communiter erant proſtibula. Nullus dubito, quin ob eandem cauſam in Canonibus Apoſtolorum & priſcis Conciliis ſub depoſitionis pœna, Clericis ingreſſus in cauponas fuerit prohibitus. Dicis: non videri probabile, quod Exploratores Joſuæ ad publicam meretricem diverterint? R. Non explendæ libidinis cauſa hanc domum ſubiiſſe, ſed inſcios, hanc meretricis domum intraſſe, uti conſtanter Interpretes affirmant. Vid. Maſius erudito ſuper Joſuam Commentario. Sed Chriſtianis nobis dubitare non licet, quin Rahab fuerit meretrix, cum in N. T. duo Apoſtoli, alter Paulus Ebr. 2. v. 31, alter Jacobus, cap. 2. v. 25. id conteſtentur.

CURRUS FALCATI.

Jud. II. v. 19.

LEgimus dicto loco, quod Deus, cum Juda fuerit, ut montana occuparet, sed incolas vallium subire non potuerit, ideo, quod hi ferreos currus habuerint. Quales hi fuerint ferrei Currus juvat ex Antiquitate exponere. Sciendum igitur est Ægyptios, Medos, Syros, Arabes, Asiaticos omnes, priscis temporibus in belli acie currus falcatos ad diffindendos hostes habuisse. Erant hi tales currus, quorum axibus ex utraque rotarum parte, ferreæ, eæque acutissimæ falces, duorum circiter cubitorum erant insertæ. His curribus, citato cursu, in medios hostes irruebant, & obvios quosque dissecabant. De his videndus est Curtius, & Autor anonymus libr. de rebus bellicis apud Demosthenem; ubi venusta descriptio horum militarium curruum, & ex his pugnantium fit mentio. Hæc pugnantia vehicula, cum incolæ vallium contra Israëlitas usurparint, vix ac ne vix quidem superari poterant. Eorundem curruum fit mentio 2. Maccab. 13. v. 2. Ubi Antiochus Eupator falcatos hujusmodi currus 300, ad tollendos Judæos fertur attulisse. Quin & Es. 31. v. 1. Ob hos currus, quod iis confiderent, Deus *VÆ* Israëlitis minatur. Addunt nonnulli dictum Prophetæ Nahum cap. 2. v. 3. Ubi hi *currus* vocantur *ignei*, ad quem locum Vatablus scribit: *Currus falcati, è quibus depugnabant, ideo, dicuntur ignei, quia videbantur quasi in igne versari.* Nam ferrum rotarum, in curribus istis ex petris quas transibant, ignem concutere solebat. Flacius Vir Sacrarum Antiquit. peritissimus, ad hos currus accommodat verba Elisæ, etiam vocantis *Currum Israël, & aurigamejus.* Utebantur veteres, inquit, falcatis curribus, quibus maxime confidebant, se hostium impetum dissecare posse.

posse. Hinc per metaphoram Elias dicitur currus & Aurigā Israëlis, quia docendo pœnitentiam, & orando pro populo fortius & felicius hostium acies dissecuit, quam Rex & equestris exercitus in Israël, cum falcatis suis curribus, fecerint. Cæterum admiranda horum curruum fuit velocitas, de qua Lucretius lib. 3. v. 643. eleganter scribit:

Falciferos currus memorant abscindere membra,
Sæpe ita te subito permista cæde cadentis
Ut tremere in terra videatur ab artubus, id quod
Decidit abscissum.

SIMSONIS GRIPHVS.

Fortissimus Gigas in Dei populo Simson, in convivio suo nuptiali, jucundum ænigma 30. juvenibus proposuisse legitur: quo ipso laudabilem Veterum morem commendat, qui non in convivio ut nostri solent convivas poculis strangulare, sed eruditis discursibus, festivis historiis vel jucundis quæstionibus ingenia acuere, naturæ in arcana inquirere, mores formare, & inde convivas exhilarare solebant, quod jam ex Antiquitatibus juvat ostendere. Scribit Joseph. lib. XII. Antiquit. c. 2. & varias quæstiones recenset, quas Ptolomæus Rex Ægypti, cum LXX. Senioribus Ebraica Biblia V. T. in Græcum sermonem advertenda convocatis, inter edendum proposuit. Noctium Atticarum scriptor A. Gell. eodem more Saturnalia agitata refert. Qui cœnulam curabat, inquit, singulis hospitibus quæstionem proponebat, simulque præmium, libellum aliquem, vel coronam e lauro plexam, ei, qui quæstionem solveret: corona Deo illi dedicabatur, cujus erat festum. Quærebant autem Veteres non res spinosas & nimium intricatas, sed jucundas & eleganter obscuras. Julius

Pollux obſervat Veteres inter potandum, ænigmata vel griphos propoſuiſſe, e quibus ænigma jocum, ſed griphus ſolertiam continebat. Si quis griphum ſolveret, huic carnis ferculum dabatur, qui non poterat ſolvere, poculum ſalſis genis bibebat. Similem ritum Simſon in nuptiis obſervavit, dum non ænigma modo propoſuit, ſed & triginta ſindones & totidem tunicas, ſolventi loco præmii promiſit. Quod hic Simſon fecit, huic ſimile & Rex Salomo & Rex Tyri Hiram feciſſe dicuntur. Scribit enim Joſeph. lib. 1. contra Appionem, quod hi duo Reges, invicem ænigmata propoſuerint, ſimulque pecuniariam mulctam in eum, qui non ſolverit ænigma, conſtituerint. Neque enim ænigma tantum, ſed & integros ſæpe libros, ad legendum, Veteres, menſis intulerunt, ut legendo hoſpites recrearent, & ex lectione eruditi colloquii anſam deſumerent. In hanc rem uſi ſunt Anagnoſtis, quos vocarunt. Teſtem iterum laudo A. Gell. qui l. 2. N. A. c. 22. ſcribit. Ad memoriam Favorini, Carmen meliori Poëtæ prælectum, in quo cum *ventus Tapix* occurreret, nata fuit quæſtio, quis & qualis ſit hic ventus. Hodie mores plane ſunt contrarii *dum ſine menſura ad menſuram bibunt*, & is cæteris præſtare dicitur, qui plurima exhaurit pocula, nec hodie vel nimis raro erudita fiunt convivia, nec in conviviis honeſte diſputatur, ſed turpiter contenditur, non explicantur res dubiæ, ſed carpuntur aliorum vitæ, non confirmantur novæ amicitiæ, ſed inchoantur contentiones novæ, & quod omnium peſſimum eſt; cum Seniores & Juniores in convivio concertant, non ſuper eo eſt, uter meliores præferat ſententias, ſed uter capaciora pocula ebibat. Interim non nego apud Veteres morem libandi pocula in aliorum ſalutem jam fuiſſe, habebant enim minuta pocula, Scyathos,

hos

hos toties ebibebant, in ſalutem Amaſiæ, quod literæ in ipſius nomine erant. Hinc illud Poëtæ:

Nævia ſex Scyatos ſeptem Juſtina bibatur.

SIMSON IN MOLA.

Jud. XVI. 21.

CUm idem ille Simſon a Philiſtæis eſſet captus, hi eundem oculis orbaſſe, & in carcerem dicuntur conjeciſſe, ut ibidem molam agitaret. Quod, quomodo intelligendum ſit, bifariam exponi ſolet. Alii enim hoc molandi officium ad rem obſcœnam referunt, & putant Simſonem fuiſſe coactum, ut cum Philiſtarum mulieribus concumberet, perinde ut Job. XXXI. 10. In textu Ebraico extat, *molat alteri uxor mea*, quod non modo textus vulgatus reddidit, alterius ſcortum ſit uxor mea, & B. Lutherus: hab ich auff eines andern Weib gelauret / ſo müſſe mein Weib geſchändet werden / und ein ander müſſe ſie beſchlaffen. Hinc & S. Hieronymus ad Eſ. XLVII. 2. refert, jam ſuo ævo nonnullos fuiſſe, qui per hanc Simſonis molam intellexerint, quod Philiſtæ pro conſequenda robuſta prole Simſonem coëgerint ad congreſſum, cum ἀλλοφύλοις mulieribus. In eundem ſenſum, non ſine inſigni turpiloquentia, ſcripſit, Petrus Commeſtor Magiſter Hiſtoriæ dictus, in Hiſtoria ſua Scholaſt. cap. 16. *Molere eſt h. l. terere, uti triticum vel frumentum teritur.* Tradunt enim Hebræi, quod Philiſtæ eum cum mulieribus robuſtis dormire fecerint, ut ex eo robuſtam ſobolem ſuſciperent. Nam molere, h. l. eſt coire. Ad eundem ſenſum, alii Simſonis ludum in publico convivio exponunt. Nam cum Philiſtæ aliqui, finitis ſolenne convivium agerent, Simſonem e carcere convocatum compulerunt, ut in eorum conſpectu luderet, h. e. juxta hos

interpretes, ut rem turpem & veneream ſpectantibus convivis exerceret. Verum hæc explicatio de Simſonis mola & ludo, uti quodammodo obſcœna eſt, ita textui ſacro congrua eſſe non videtur. 1. Quia ſacra S. de hac mola & hoc ludo decenter loquitur. 2. Quia in Heroem qualis erat Simſon, non convenit ἔργον κακόεργον, cum heros mortem & exquiſitiſſima ſupplicia malit perferre, quam ut cogi ſe patiatur; & quidem in denſa juvenum corona, ad rem adeò pudendam. Itaque ſenſum alium indagare oportet. Proinde ſtudioſi S. Antiquitatum obſervent, apud Orientales morem fuiſſe, ut captivos, catenis vinctos ad molendum, vel lapidem cædendum, vel ad hauriendam aquam vel ad operas ruſticas, & alia ſervitia conſtringerent. De *Mola* nemo dubitaverit, qui expenderit illud Exod. XII. 29. Ubi Deus minatur, *ſe occiſurum omnes Ægyptiorum Primogenitos, a filio Regis usque ad filium ancillæ, quæ ſedet ad molam.* Unde patet molendi officium ſervile fuiſſe, idemque a captivis in carcere exercitum, expreſſe docemur Exod. XII. 29. Sic Eſ. XLVII. 2. Inter Panoletriam Populi Judaici refertur, *quod molam attollere & farinam molere debeant*, h. e. quod in ſervitutem redigi & in captivitatem debeant abduci. Ad eundem modum Thren. V. 13. *Juvenes* dicuntur, *ad Molas vel ad carceres, in quibus erant molæ, abducti.* Sic & in dicto Job. XXXI. *Molet alteri uxor mea* hic eſt verus ſenſus: Eripiatur mihi uxor mea, & alteri famuletur. Ad eundem modum dicitur h. l. de Simſone, quod ipſum molere *oportuerit*, h. e. quod in carcerem ſit detruſus, ubi mola exſtitit, quam circumagere, adeoque difficili ſibi labore in carcere victum parare oportuit. Atque hinc eſt, quod carcer adhuc ἐργαστήριον h. e. Operatorium dicatur, quia olim in carcere captivis fuit laborandum.

VETE-

VETERVM VNCTIONES & LOTIONES.

ex Lib. Ruth. c. III. 3.

CUm Moabitis illa Ruth maritum denuo quæreret, a ſocro ſua Naëmi, fuit dicto loco inſtigata, ut ſeſe alluereret, & ungeret. Ubi notandus eſt mos, quem in Oriente non divites tantum, ſed & infimæ ſortis homines, teſte Caſaub. in notis ad Theophr. c. 19. obſervarunt; uti non lavarent tantum ſed & in balneis ſeſe ungerent. Hinc *locus in balneo, unctarium* dictus, & *cella quædam unctaria*, de quibus videatur Demſterus in not. ad Roſinum. Imo, interdum ipſas aquas, unde lavabant, adoratis ungventis profundere ſolebant. Cui operi *Aliptæ* h. e. unctores deſerviebant. Erant autem *Aliptæ* ſervi, quorum hoc unum fere officium, ut in balneis Dominos ſuos ungerent. Hinc refert Victor in variis lectionibus: Romæ in veteri marmore *Aliptam* oſtendi, qui dextra χύτλον, h. e. vaſculum olei plenum teneat, e quo guttatim oleum fundat; nec procul ab hoc Alipta, alium ſervum ſtare, qui ſtrigilem, h. e. pelvim, aqua plenam teneat, & guttas olei excipiat. Ab antiquiſimo illo more, in hunc usque diem, unguentorum uſus atque lotionum, in Oriente eſt celeberrimus; præſertim apud Turcas, quæ gens & unguentis & balneis eſt ditiſſima; & ad hunc Veterum morem, Naëmi, in Libr. Ruth reſpexit, cum nurum ſuam juſſit, ut ſi maritum velit lucrari, diligenter ſeſe lavet & ungat. Simile quid, de Judith legitur cap. X. v. 3. quæ Holofernem deceptura, os aquâ eluit, unguento ſe perunxit, veſtesque pretioſas induit. Sic & de Suſanna traditur, quod cum in horto balneum inſtituiſſe, ancillas emiſerit petitum unguenta, oleum & ſmegmata.

ſmegmata. Imò aromata in Palæſtina tanti habita ſunt, ut ipſi Reges inter Theſauros eadem repoſuerint, quod exemplo HISKIÆ conſtat Eſ. 39. v. 2. Quia & Spiritus S. ab unguendi ritu in ſacris elegantes Metaph. deſumit, ut Eccl. 7. v. 7. *Honeſta fama, unguento optimo præfertur*; Senſus eſt, quod Ευφημία poſt mortem ſit longe gratior, quam fragrantiſſimi unguenti odor, qui de cadaveribus olim ſpirabat. Nam Veteres etiam mortuos unguentis perfundere ſolebant. Huc pertinet dictum Pſ. 104. v. 17. Ubi vinum magis formoſum dicitur vultum reddere, quam oleum. Credebant enim Veteres, faciem oleo unctam, fieri illuſtrem, hinc ipſe Deus dicitur vultum ſuper nos illuminare, quoties clementiam ſuam nobis oſtendit.

MIPLEZETH.

CUm Rex Jerobeam in V. T. Eccleſiam reformaret, inter alia fertur, quod *Matrem ſuam à Sacris Priapi averterit, ne iis amplius præſideret.* Quem Vulgata Verſio *Priapum* dixit, hinc in Hebr. dicitur *MIPLEZETH*, eamque vocem, B. Luth. dicto loco, in verſione germanica retinuit, addita Gloſſa: Wer *MIPLEZETH* geweſen iſt ungewiß zu ſagen / etliche meinen / es ſey der Abgott Priapus geweſen. Deſcendit *Miplezeth*, â rad. פלץ, h. e. terrefieri vel formidare. Hinc Arias Montanus reddidit, *Terriculamentum.* Junius, *formidandum Idolum.* Tremelliùs *horribilem ſtatuam*, quod nomen Idolis gentium pulchrè convenit, ideò, quod idola pleraque erant immani ſtatura, quorum vel ſolus adſpectus terribilis eſſet. (2.) Quia Ethnici Idola ſua cum magno timore & tremore venerabantur. Hinc ad hunc locum Vatablus ſcribit: *Miplezeth* ſignificat, tremorem omnium membrorum, & timorem animi, quia Idololatræ, Deos

Deos ſuos valde timebant, & plurimum reverebantur (3.) *Ab Effectu*, quia cultus idoli tantum abeſt, ut tranquillam conſcientiam reddat, ut potius meros terrores incutiat. Accedit quarta ratio, cur *Miplezeth* (ſiquidem ille ſit Priapus) a terrore dicatur. Erat enim apud Ethnicos hortorum Deus, ideoque Horatio dicitur *Furum aviumq; maxima formido.* De Priapo alias, vel quod idem eſt de *Miplezeth*, veteres teſte Gyraldo putarunt, eundem cum *Baal Peor*, quod Moabiticum idolum fuiſſe, ex Hiſtoria Bileami Num. XXIV. 3. conſtat. Et Baal quidem in V. T. idolorum omnium commune nomen fuiſſe videtur, cujus diſtinctio ex addito nomine fuerit petenda. Sed quod ad Baal Peor, alii dictum exiſtimant, a monte Peor in quo ſtetit hoc idolum, & primitus fuit cultum. Atque hæc ſententia eſt Suidæ & Theodoreti, fitque ex eo probabile, quod & petræ hujus montis mentio fiat, Num. XXIII. 28. Alii Baal Peor a radice *Paar* h. e. aperirre, nudare, vel diſtendere derivant. Rationem nominis geminam reddunt. Alia eſt Vatabli, qui ad dictum Numerorum caput ſic ſcribit. Hebræi, Baal Peor inde dictum eſſe, aſſerunt, quia, qui hoc idolum colebant, in ejus honorem (quod tamen ſalvo honore dictum eſto) poſteriora denudare, diſtendere & in idoli hujus conſpectu ventrem exonerare ſolebant. Cultus ſi quis alius idolo maxime dignus. Alii idolum quod in ſacris *Miplezeth* ab Ethnicis *Priabus* dicitur, ideo putant Peor dictum, quod eidem membrum virile ſemper eſſet apertum, nunquam veſte tectum imo extenſum hinc Poeta:

Cur obſcœna mihi pars ſit ſine veſte requiris,
Quare tegat nullus, cur ſua ſigna Deus.

Hinc Hoſ. IX. 10. Idem hic Deaſter dicitur *Boſcheth*, h. e. pudendum idolum. Tradunt Veteres, imprimis Hieron.

Baal Peor, a fœminis cultum, quæ coram hac obſcœna ſtatua procidêre, eique ſupplicavêre, precibusque peractis in promiſcuos concubitus & vagam venerem irruêre, ea opinione, hac vaga libidine idolum hoc rectiſſime coli atque expiari. In hoc Meretricum Collegio Mater Jeroboam hactenus Princeps fuerat, donec ejus filius prudentior factus, idolum publice combuſſit, eoque ſacra hæc venerea funditus evertit.

MOLOCH IN GEHENNA.

2. Reg. XXIII. 10.

COmmunis Ebræorum traditio eſt, quam Lyranus Toſſanus, Oleaſter, aliique ſacræ Scripturæ interpretes ſequuntur: *Moloch* fuiſſe æneum idolum, caput habuiſſe vitulinum, reliquo corpore hominem repræſentaſſe, regiisque inſigniis conſpicuum, in regio ſolio ſediſſe, manusq; protenſas habuiſſe, quibus infantes a parentibus oblatos & exceperit & conſtrinxerit. Intus autem concavum fuiſſe, totumque candefactum, infantes miſere concremaſſe, ſed ne in diris illis cruciatibus infantum vagitus audiri, eoq; parentum animi affici poſſent, Sacerdotes hujus idoli tympana quatere tubisque clangere ſolitos. Hæc ita Hebræi, quæ licet non ſint omnia adeo certa, interea, dum nihil certius occurrit, probabilia haberi poſſunt. Ex jam traditis vero fit ſimile, Ebræorum idolum Moloch Gentilium Saturnum fuiſſe. Nam 1. de Saturno Poëtæ ſimiliter referunt, quod nimirum filios devoraverit, & ne puerorum ejulatus audirentur, cymbala & tympana ſonuiſſe. Deinde inter Gentilium Deos unus fere Saturnus fuit, cui humanas victimas ſacrificarunt. Et 3. cum idolo Moloch pulchre congruit ſtatua Saturni, quam Diodorus Siculus refert

hoc

hoc modo: *Erat apud Carthaginenſes ænea ſtatua Saturni, quæ quidem manus extendebat, ſed adeo pronas in terram, ut puer is impoſitus, ſtatim devolveretur & in voraginem ignis decideret.* De ea ſcribit Plutarchus περὶ τῆς δαιμονίας, *quod parentes liberos ſuos Saturno conſecraverint, & quod* οἱ ἄλεκτροι *liberos pauperum emerint, eosque velut agnos aut aviculas in honorem Saturni mactaverint. His ſacris*, pergit Plut. *matres ſine gemitu adſtabant, ſi qua mater gemuiſſet, multam dare oportuit, & nihilominus puer fuit immolandus.* Interim omnia circa idolum tympanis & tibiis perſtrepuerunt, ne quis ejulatus audiretur. Huic idolo, ſive *Moloch* ſive *Saturno*, ſimillimum fuit in India *Pagodes* de quo hoc refert Hugo Lynſchoranus: *ponebatur hoc Indicum idolum in regio curru, in throno ejusq; comites erant in curru Regis uxores, quæ in honorem Idoli varia inſtrumenta pulſabant. Sed dum currus proceſſit, viri & fœminæ catervatim viſcera ſua, vel infantulos ſuos in fruſta conciderunt, & Idolo objecerunt. Alii ſe ipſos ſub rotas poſuerunt, & comminui curaverunt.* Plura exempla τῆς ἀνθρωποθυσίας Gentilium, eaque horrenda B. Calixtus in Epit. Theol. moralis recenſet. Etſi vero in Dei populo omnes Anthropothyſiæ graviter prohibitæ eſſent, Lev. XIIX. 21. ſucceſſu tamen temporis, præſertim ſub Rege Manaſſe, qui proprium filium Idolo *Moloch* immolavit, 2. Paralip. III. 26. valde increbuerunt. Primo locus, in quo miſeri infantes huic idolo offerebantur, in Hebræo dicitur *Gehinnon*, a גֵּיא i. e. vallis & a radice נָהַם quod eſt rugire vel gemere, ob gemitum quem pueri edebant, cum comburerentur. In hac valle erant altaria Molochi 2. Reg. XIII. 10. juxta ac Baalis, Jer. XIX. 5. Fuiſſe autem tympana adhibita, docet nomen *Tophet*, quod in ſacris eidem valli tribuitur, ab Ebræo תֹּף quod tympanum ſignificat. Memorabilis eſt

Glossa B. Luth. in Jer. c. VII. 3. Das Thal Bennhinnon war ein sehr lustiger Ort / hart an Jerusalem / wie S. Hieronymus bezeuget / das haben sie hernach **Topher** genennet / weiß nicht warüm? die Propheten machen einen bösen Nahmen daraus / ich laß es dabey bleiben / daß Topher herkomme von Toph / das heist eine Paucke oder Trommel: denn Lyra meldet / daß die Kinder Israel daselbst den Abgott Moloch ihre Kinder in die Arme gelegt / und daselbst verbrandt und die Priester darzu mit Paucken und Schellen geklungen / damit die Eltern der Kinder Geschrey nicht höreten. Also heist Topher auff deutsch ein **Trummel-Haus oder Trummel-Kirche** wie denn auch Hiob spricht in 7. cap. v. 6. Ich muß ein Topher für meinen Freunden seyn / daß ist ein Trummel-Spiel die meiner zum Schaden noch spotten / wie man denn den Hiob gemeiniglich so abmahlet / daß die Pfeiffer sein spotten. Hæc ita B. Lutherus. In Nov. Test. Gehenna communiter vocatur infernum ipsum, Matth. X. 22. ob duas causas: 1. Ob exquisitos ignis cruciatus, per quos infantes traduci solebant, simulque comburi. 2. Ob nimium loci fœtorem. Fuit enim hoc Idolum postea destructum, & tota hæc vallis in locum cadaverum conversa.

CVRRVS SOLIS.

INter præclara facta Regis Josiæ & illud refertur, quod Equos in honorem Solis positos, ab atrio templi removerit, & currus Solares publice combusserit. Ubi studiosi Sacrarum Antiquitatum notabunt, Solem ab omnibus ferè gentibus pro Deo habitum, id, quod non tantum de populis longe dissitis in Oriente constat, sed & de Germanis majoribus nostris in Germanica sua antiqua Cluverus egregiè

giè oſtendit. Habuerunt enim Germanni duos primarios Deos, gentis ſuæ Autores; quorum alter *Teuto* unde Teutſch dicimus germ. der Mann. Hic poſt Obitum Cœlo receptus, Luna facta creditur, quæ inde adhuc dicitur der Mond. Hujus *Teutonis* ſive *Manni* Uxorem credidérunt dictam fuiſſe *Sanam*, quæ poſt obitum in Cœlum recepta fuerit *Sol* die Sonne dicta. *Hinc eſt, quod in ſola lingua germanica Sol ſit generis Fœminini*: Hujus veterum Germanorum *Heliolatriæ*, in hac vicinia antiquum monumentum ingentia illa Saxa, in monte *Cornelii* quem dicimus, admodum altaris depoſita, adhuc hodie referunt; ad quæ Saxa Solem Orientalem olim Saxones adorarunt, quin & Equos & Currus Soli dedicarunt. Hic verò mos de Perſis traductus videtur. Nam de Cyro Perſarum Rege Xenophon lib. 5. τῆς κυρωπαιδείας refert; quod ante Solis ortum Currus ad Solis Sacrificium eduxerint, horumque Equos Soli immolarint. Simile quidem de Incolis Zeeland tradit Benjamin Tuledenſis in itinerario ſuo: *Solem*, inquit, *venerantur & extra Civitatem, ad dimidium usque milliare atria habent diſpoſita, & manefacto Soli obviam excurrunt. Inter alia*, inquit, *ſolarem orbem habent, magica arte confectum, quem ſub ortum Solis magno ſtrepitu convertunt, hoc dum fit, Viri & fœminæ omnes manibus thuribula tenent, & Thura Soli incendunt.* Ratio, ob quam ethnici Solem equis & curribus honorârint, hæc eſſe creditur; quod putaverunt, velociſſimo Deorum velociſſimos currus deberi. Solebant porro quadrigas Soli, bigas Lunæ, trigas Inferis, Sejugas Jovi conſecrare. Soli autem quadrigas ideo, quod Sol per quatuor anni tempora, Ver, Æſtatem, Autumnum & Hyemem decurrens, annum conſtitueret. Hinc Manilius lib. 5.

Quadrijugis Sol gaudet equis, ſed Delia bigis.

Elegans porro nec multis obvia eſt conjectura, quam de hâc Judeorum Heliolatria Venerab. Beda in libr. Reg. Qv. 2. v 8. profert, dum ad dictum locum ita ſcribit: *Videmus ex hoc dicto, quod omnia fere Idololatriæ genera apud Judæos fuerint; cum non tantum more gentilium Solem ſint venerati, ſed & Simulacrum Solis fecerint in ipſo Atrio Templi, ejuſque currus & equos ſubdiderint. Nam & hoc modo Gentiles Solem depingunt, tanquam imberbem juvenem, ſedentem in curru, & equis protractum. Juvenis inſtar Sol ideo ſe habet, quia quotidie novo ortu renatus, per nulla ſecula ſenium incidit. Cum porro* (pergit Venerab. Beda,) *Græci ab Ebræis, quos divinis literis inſtructos fuiſſe, fama erat, audiiſſent, quod Elias igneo curru & Equis in Cœlum ſub-volaſſet, vicinia nominis decepti (quia ex Helias facile formatur* Ἥλιος) *crediderunt, aſcenſu iſto, Heliæ tranſitum* τὸν ἥλιον *h. e. Solis per Cœlos denotari, ideoque* τῷ ἡλίῳ *ſimiliter currus & equos conſecravêre.* Hæc appoſitè Beda; cui tamen quoad rem præiviſſe videtur Chryſoſtomus Serm. 2. de Helia.

COCCINVM & COCCI VERMICVLVS.

Eſ. I. v. 18

CUm Eſaias ſub initium Prophetiæ ſuæ gravitatem peccatorum in populo Judaico vult ob oculos exponere, elegans ſimile à Cocci ſangvineo colore, & â rubro ſucco Vermiculi, qui ex Cocco naſcitur, uſurpat. Hæc enim ejus verba ſunt: *Si fuerint peccati noſtra coccinum, quaſi nix albeſcent. Si fuerint tanquam vermiculus, quaſi lana.* Solent nimirum Ebræi res candidiſſimas per nivem, Ebur, Byſſum, Lanam, Lac, vel argentum exprimere. Candidus autem

autem color in ſacris candorem animi refert, ſicut color ater luctum. Sed coccineus vel purpureus peccata ac vulnera denotat. Sed quid quæſo dicto loco per Coccinum & Vermiculum intelligitur? Variant hâc de re Interpretes. Nam B. Lutherus reddidit; Wenn eure Sünde gleich Bluthroth ſeyn ꝛc. Anglus vertit: Wenn ſie gleich ſeynd wie Scharlacken LXX. Interpretes. *Si habeant colorem phœnicium.* Vulgata verſio de Coccino exponit. Sed Tigurini hoc modo: Wenn eure Sünde gleich ſeynd brenneno wie ein Purpur. Nam Coccineus color, Juven. Sat. 2. Igneus & ardens dicitur. Sunt tales Metaphoræ, quæ â cocco ſive grano vel vermiculo dicuntur, admodum emphaticæ, v. g. Quando Apoc. 17. *Meretrix Babylonica dicitur, inequitare coccineæ beſtiæ, ideo, quod ſanguine Martyrum ebria ſit.* Ubi color coccineus eſt nota Tyrannidis quemadmodum & Virg. libr. 9. Æn.

Horrida ſanguineo pinguntur prælia cocco.

Eſt alias Differentia quædam inter coccineum & purpureum colorem. Verum Sacri Scriptores utrumque confundunt propter mutuam coloris communionem. Ita Matth. vocat Cap. XXVII. v. 24. Veſtem coccineam, quâ milites Chriſtum ludificantes induerunt illum. Marcus & Joh. vocant veſtimentum purpureum. Pauſan. in Phocil. pag. 280. Plin. l. 24. cap. 4. lib. 21. cap. 8. lib. 9. cap. 38. Horat. Serm. 2. Satyr. 6. Scalig. in Poëm. p. 352. *Coccum pulchrè vocat Patrem puſilli vermiculi.* Nam in Cocco ruber vermiculus naſcitur, â quo & color vermiculus dicitur. Videatur Claudianus Salmaſius in Exercitationibus Plinianis.

SE-

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id398298017/81 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

SEMEN SCHICHOR.

Es. 23. v. 3.

PRopheta ſpiritu prævidens excidium Urbis Tyri, non Tyrios tantum plorare, ſed & vicinas Inſulas tacere jubet, ad quas olim *Semen, Schichor* in aquis multis fuerit delatum. Quale ſit hoc *Semen* variæ ſunt interpretum Sententiæ. Per Schichor autem, ſine dubio notorius in Ægypto fluvius intelligitur, ita dictus â Rad. שָׁחַר nigreſcere, qua Nilus dum Ægyptum inundat, turbitas limo aquas ſecum vehit, eisque nigros efficit agros, quo reſpexit Virg. 4. Georg.

Ægyptum viridem nigrà fœcundat arena:

Quin & ob eandem cauſam Veteres Ægyptum *nigram glebam* dixerunt. Scaliger in Notis ad Feſtum obſervat, Græcos cum audirent, Nylum ab Ægyptis vocari *Schichor* vel nigrum vel nigricantem, ſimili de cauſa id omne, quod nigrum eſt, Ægyptum vocaſſe. Verum h. l. *Semen Schichor* in agris multis nihil eſt aliud, quam Nili aqua abundans, quam Propheta in eodem contextu, imo in eadem metaphora eleganter Meſſem fluminis appellat. Sicut enim Semen animalia fœcundat; Ita Nilus, non pluvia, agros Ægypti fertiles reddit. Ideo autem fluminis hæc Meſis dicitur, quia ſparſo hoc ſemine, h. e. Ægypto per Nilum irrigata, copioſa meſis ſperari ſolebat. De cætero crebra in Sacris literis eſt fluminis Schichor vel Nili mentio. Sic Eſ. XI. v. 15. *Minatur Deus, ſe velle fluvium Ægypti ejusque ſeptem oſtia percutere.* Quod cum civili hiſtoria convenit pulchrè. Hinc & Ovid. *Septemplicis oſtia Nili,* Aliis, ſeptemflua oſtia Nili dicuntur. Ex his oſtiis erat unum *Peſuſium*, quo Palæſtina ab Ægypto fuit diviſa. Hujus Oſtii mentio habetur Num. 35. v. 5. Ubi *torrens Ægypti dicitur.* Similiter

liter Deut. II. v. 10. *Deus Iſraëlitis promittit terram, quæ non ſit ſicut terra Ægypti*, cum in Ægypto cœli inſtar ſit Nilus; quod dictum niſi cognitis hiſtoriis de Nilo, non facile intelligitur. Videtur autem Deus ad imbres ſerenos, quos ſola Ægyptus habent, reſpexiſſe. Nam ut ſcribit Claudianus Epigr. 4. v. 5. pag. 327.

Ægyptus ſine nube ferax, imbresque ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti.

Porro, cum per irrigationem Nili agri ſæpe loco moverentur, adeoque limites agrorum turbarentur, hæc res Ægyptios permovit ad Studium Geometriæ, ut nimirum hujus artis beneficio, ducto gnomone, agrorum ſpatia poſt diſceſſum Nili denuo metiri, & inter agricolas partiri poſſent. Hinc nonnulli putant Ægyptios Eſ. XVIII. v. 2. *Gentem lineæ* dictos, quod inſignes Geometræ eſſent. Cætera de Nilo videantur apud Wendelinum, qui eruditum libellum, admirandis Nili impletum, conſcripſit.

TYRVS CORONATA.

Eſa XXIII. 28.

VErba Prophetæ ſunt: *quis cogitabit hoc de Zor?* Hoc enim nomine Ebræi vocant Tyrum, quondam coronatam cujus Negotiatores, Principes, Inſtitores ejus incliti terræ. De corona illa B. Lutherus ita reddidit: Wer hätte wohl gedacht / daß es Tyro der Krone ſo gehen würde / da doch ihre Kauffleute Fürſten ſeynd? Alii, quæ de corona dicuntur, *activè* exponunt, quaſi Tyrus dicatur eine Krönerin / oder eine Stadt die andere krönet. Alii *paſſivè* exponunt, quaſi Tyrus dicatur eine bekrönte Stadt / quorum utrumqua facile poteſt admitti. Erat enim Tyrus urbs antique, ob commercia nobilis, terræque marisque

imperio insignis. Hinc in sacris non tantum ob delicias Dei Paradisus, GOttes Lust-Garten Ezech. XXIIX. 2. 12. dicitur; sed & hoc loco propter potentiam & immensas opes, quibus & ipsa erat ornata, suosque vicinos ornabat, *corona urbium* dicitur. Præsertim in sacris æque ac profanis historiis invenio duo, quibus Tyrus eminuit. Alterum erat *Naupectria* vel ars navigandi. Nam juxta Poetam Phœnices, quorum Metropolis erat Tyrus, *omnium primi trans æquora vecti, lustravere salum*: Certe Salomonis tempore, ob rem nauticam celebres fuisse Tyrios, docemur exemplo famigeratissimi Thelassiarchæ Regis Hiram 1. Reg. IX, 27. Fuitque Tyrus eadem olim celebritate, qua hodie sunt Venetiæ, hinc & Tyrium mare in proverbium abiit. Alterum quo Tyrus eminuit fuere *commercia*. Hinc *Cicero a Phœnicibus, adeoque Tyriis refert, Græcos mercaturam omnium primum didicisse* lib. 3. de Rep. Sunt nonnulli, qui putant, Tyrum olim fuisse Sarram dictam, ideo, quod Tyriæ merces communiter *Sarranæ* dicuntur. Ita Juvenalis *Sarrana aulæa* vocat, quæ Tyrio murice sunt tincta & Columel. l. 9. c. 4. Sàrranas violas dixit, a purpureo colore, & Virg. lib. 2. Georg. *Sarranum Ostrum* commendat, quin & in hunc usque diem ab hac urbe dicimus Scharlach. quasi dicatur *pannus de Sarra*, uti adhuc quoque dicimus Seyden / ab urbe *Sidone* quia in desericum omnium primo fuit illatum. Unde vero Tyrus olim Sarra dicta? Servius ad dictum locum Virgilii nomen Sarra derivat a *Sar*, pisce quodam, qui circa Tyrum abundaverat, sed hoc sine dubio fabula est. Ego existimo, id nominis esse ab Hebraico nomine *Zor*, quo Propheta loco supra dicto urbem Tyrum insignit. De Tyriis mercibus qui plura voluerit, legat Martialem Parvinam, qui varios de re vestiaria libellos scripsit.

DE PLACENTIS MELE. CHET OBLATIS

LEgimus Jer. VII. 18. querelam Prophetæ. *Filii colligunt ligna, Patres ignem accedunt, & mulieres Maſſam ſubigunt, ut placenta faciant Melecbet.* Quæ & qualis ſit hæc idololatria non omnino conſtat. Alii cum vulgata verſione, Melechet interpretantur *Reginam Cœli*, ſed, quæ ſit hæc cœli Regina, non conveniunt. Philaſtrius eo nomine Deam in Africa cœleſtem, vel fortunam cœli dictam intelligit, & exiſtimat contra impium hunc fortunam cœli cultum a Jeremia Threnos conſcriptos. Alii per Reginam cœli unam ex Muſis *Uraniam* intelligunt, in Arabia præſertim cultam. Alii per *Melechet* intelligunt *Lunam*, quæ noctu conſpicua, velut Regina inter ſtellas reliquas eminet. Alii *ſolem* ipſum intelligunt, quem pleræque gentes adorant, adeo, ut nonnulli omnes gentilium Deos ad unum ſol reducant, quem Phœbum dixerunt. Memorabile eſt, quod de hac idololatria ſcribit Herodotus lib. 1. *Perſas fuiſſe ſolitos in montes excelſos conſcendere, ibique hoſtias Jovi immolare: juxta cœli & Lunæ, imo totum cœli ambitum, Veteres Jovem appellaſſe.* Sic & Tertullianus in Apologetico refert, Perſas ſolem adoraſſe in linteo depictum. Alii per *Melechet*, cultum ab Ægyptiis traductum, denotare putant, apud quos erant primarii Dii, *Oſiris* & *Iſis*, de quibus Diodor. lib. 1. c. 2. hæc tradit: *Cæterum vetuſtiſſimorum Ægypt. mortales mundum ſupra ſe contemplatos, & non ſine ſtupore demiratos univerſi naturam, duos eſſe Deos exiſtimaſſe, æternos & primarios ſolem quippe & lunam, quorum iſtum Oſirim, hanc Iſim appellarint.* B. Luth. in verſione Bibliorum vocem hanc *Melechet* retinuit, ſed quæ ejus de hoc

idolo mens fuerit, docet Jer. XLIV. 17. ubi equidem Deæ fit mentio, ad quem locum hæc addit; Melechet heist **Wirckung**. Des Himmels Wirckung ist / daß er Regen / Thau / Schnee / Frost / Eyß / Kälte / Hitze / Licht / und in summa allerley Wetter giebt. Das Melecher wohl möchte heissen Wetter oder Gewitter des Himmels. Die Jüden haben diesen Gottesdienst gehalten um gutes Wetters willen / (wie der Text saget / daß sie Brodt in aller Gnüge gehabt haben) auff daß die Früchte von Donner / Hagel / Blitz / Meelthau / und andere Ungewitter unversehret durch gut Wetter reichlich wüchsen / und zu rechter Zeit alles wohl bekäme. Solch Melechet Stück ist bey uns S. Vrban, der soll gut Wetter zum Wein geben / und S. Alexius wieder Donner und Blitz helffen / und dergleichen. Ego vero existimo, vocem Melechet a more bellico desumtam esse, eaque exercitum cæterum, h. e. non solem tantum & lunam sed & reliqua astra & stellas omnes comprehendi, ut proinde Melechet reddi debeat: des *Himmels Heer*. Sicut enim in exercitu militum turmæ sunt dispositæ, sic & Deus in cœlo suum habet exercitum, in quo Regis instar est sol, ut diei præsit; reginæ instar est luna, quæ noctem gubernat. Duces sunt Orion, Arcturus aliaque majora sidera; & reliquæ stellæ minores sunt quasi satellites & ministræ. Hunc totius cœli exercitum illustrem Judæi more Gentilium adorarunt, imo Judæi fere omnes semper apud Ethnicos pro cœlicolis sunt habiti, quod manibus ad cœlum expansis orarent. Hinc Petronius inquit:

Judæus porcinum Numen adorat,
Et Cœli summas advocat auricolas.

Quin & Juven Satyr. 14. v. 96. de Judæis inquit:

Quidam sortiti metuentem Sabbatha patrem
Nil præter nubes, & Cœli numen adorant.

Videa-

Videatur Felix Cluverus in antiqua Germania, ubi est caput insigne de veteri siderum cultu. Expositа *Melecbet*, jam porrò videndum, quis cultus huic Idolo fuerit delatus. Propheta, refert eidem oblatos fuisse *Caphanim*, quo nomine intelliguntur *placentulæ*, *vino & oleo subactæ*, de quibus Rabbi Salomo scribit: *his placentulis, effigiem magnæ cujusdam stellæ, quam Cœli reginam dixerunt, fuisse impressam.* Nicolaus Lyra refert; *panes rotundos fuisse, in quibus imago Lunæ fuerit conspicua.* Hos panes Franciscus Junius, similes Lagunculis fuisse, tradit, quibus Romani & Græci in sacris suis fuerunt usi. Eodem sensu accipi oportet verba Hoseæ c. III. v. 1. quod loco LXX. Interpretes has placentulas vocant πέμματα, in Sacrificium oblatas. Denique notandum est, quod Propheta ob cultum *Melechet* imprimis mulieres reprehendat. Nam & hac in parte imitati sunt Judæi Ethnicos, qui in cibis Deorum faciendis, mulierum opera sunt usi, quà de re Casauboni Athenæ videantur.

DE FLETV super TAMVTZ.

Ezech. VIII. v. 14.

REfert dicto loco Propheta, *se ab Angelo ad ostium portæ Domini adductum, mulieres ibi vidisse, qui super Tamutz deflerent.* Quis quæso Deus Tamutz? S. Hieronymus quem plerique Interpretes sequuntur, vertit *Adonidem*, & nomine Tamutz formosissimum illum juvenem intelligit, quem Venus in deliciis habuit, & occisum acerbè deflevit. In honorem Veneris pleræque gentes hæc *Adonidis* sacra solennia habuerunt, fœminæ præsertim, ita quidem, ut altero die multis lachrymis, tibiisque ad luctum compositis, Adonidem defleverint. Sed die altero, quasi redivivum hi-

lari plausu exceperint. Verba S. Hieronymi bæc sünt: *Quem Ebræi & Syri vocant Tamutz, nos Adonidem interpretamur, quia in Fabulis gentilium menſe Julio, dentibus apri occiſus, eodemque menſe reſuſcitatus* fertur. Hebræi totum hunc menſem nomine *Tamutz* honoraverunt, inque ejus honorem annua ſolennia egerunt. B. Lutherus de Tamutz videtur dubius, ſed tandem putat, eo nomine Bachum intelligi, ita enim commentatur: Tamutz ſoll ſeyn der Abgott Adonis davon die Poëten viel geſchrieben. Er iſt der Venus ihr Buhle geweſen / darum auch die Weiber ihn abſonderlich beklagen. Mir aber deucht es ſey der Abgott Bacchus geweſen / der **Wein-Gott** / wie bey den Papiſten / Urban. Quid ſi ita ſit? *Sacra Bacchi*, vel *Bacchanalia* in Oriente, præſertim â fœminis diu fuerunt culta, antequam ad Occidentales pervenerunt. Videantur Heinſii Sacræ Exercitationes ad Nonnum cap. 1. Piſcator in Bibl. Herbornenſibus ſub nomine *Tamutz, Oſiridem* intelligit, quem & ipſi Ægyptii amiſſum, quotannis defleverunt, teſte Plutarcho in Iſidem & Oſiridem. Huic ſententiæ favet, quod Ægyptii Oſiridem alio nomine vocarunt *Ammutz*, unde facile potuit *Tamutz* formari. Hujus quoque ſententiæ eſt Tremellius, qui & hoc addit: *Ammutz Ægyptiaca lingua abſtruſum denotari. eoque indicari, quod Ægyptiorum ſacra operta putat.* Alii per Tamutz intelligunt *Solambum*, vel *Solambonum* Deum Syriæ, quem Syri eodem ferè cultu, quo cæteræ gentes Adonidem maſtarunt; fuitque cultus Solambi auſpice Heliogabali ad Europæos primum traduſtus, teſte Julio Vermico cap. 10. de errore profanarum religionum. Huic Reineſius conſentit: *Ego*, inquit, *ſine hæſitatione affirmo, quod Solambus idem ſit cum eo, quem Arabica verſio apud Ezech. Altbamutz dixit: cum literæ labiales* ב & ו *facile permutari potuerint.* Denique Rabbini Civilium

vilium Antiquitatum ignari, cum neſciant, quis fuerit *Tamutz*, fingunt, Idolum fuiſſe magni cujusdam Prophetæ, cujus obitum totus Iſraël anniverſario planctu honoraverit. Nos lectori, quam velit ſententiam relinquere, liberum relinquemus.

ADVLTERIA VBERVM.

Oſ. I. v. 2.

CUm Deus Synagogam Idola ſectantem, ad ſui cultum reducere ſatagit, inter alia ſic monet: *Aufferte adulteria de medio uberum veſtrorum.* Ubi notandum eſt in Sacris, morem Propheticum eſſe, ut Synagoga Idolis dedita, cum meretrice comparetur, & ut ſcelus exageretur, ſub nefariis meretricum moribus, præſertim ſub nuditate vultus & uberum, idololatria proponitur. Itaque *adulteria uberum, h. l. dicuntur, obſcœna uberum delectatio*, quibus ſcortatrices mamillas, adeoque totum corpus ad libidinem proſtituunt, ut alliciant amatores, nam circa ubera cumprimis impudicitia meretricum in publicum prodit. De cætero, in Sacris literis metaphora ab uberibus deſumta, amor interdum caſtus, interdum obſcœnus denotatur. Caſtus v. g. Cum Salomon vehementem & continuum illum, qui eſt inter Conjuges, ac certè eſſe debet, amorem per *Ubera* Symbolicè deſignat. *Ubera tuæ Conjugis te ſemper inebrient.* Prov. V. v. 18. Quæ Metaphora in Cant. celeberrima v. g. Cum Cœleſtis ſponſus ait: *Meliora ſunt ubera tua vino.* Quo loco per ubera Sponſæ Chriſti, eleganter duo Sacramenta Eccleſiæ, intelligi poſſunt. Item Cant. IV. v. 5. Eadem hæc *Ubera, ſicut hinnuli capræ gemelli, qui in liliis paſcuntur, eſſe dicuntur.* Ubi Sacrarum Antiquitatum Studioſi obſervent, in Oriente elegantes Capreolas fuiſſe, quæ

pilos

pilos tenuiſſimos, & ubera nitidiſſima, pulchreque diſpoſita, habuerint. Hinc Orientales, rem aliquam commendaturi, cum hujusmodi capreolis compararunt, quæ in deliciis fuerunt, ac hodie virginibus ſunt *canes Melitæi*. Sed nec raro per ubera *amor meretriceus* denotatur, qui in ſacris literis ſub denudatione pectoris & uberum, quæ in fornicibus palpari permittuntur, exprimi ſolet. Hinc Salomon hanc meretricis vocem pronunciat. *Veni, inebriemur uberibus & cupidis amplexibus fruamur*, Prov. VII. Hinc & *ubera ſubacta* dicuntur. Ezech. XXIII. v. 3. Atque hæc ſunt, quæ Oſeas dixit, *Uberum adulteria*. Notandum eſt hoc loco, Virginum Orientalium caſtimonia, quæ ſemper „ domi ſe continuerunt, & cum in publicum fuit prodeun- „ dum, ſemper faciem velamine, totumque corpus pallio „ contectum habuere. Ob hanc cauſam apud Ebræos Vir- „ go dicitur עַלְמָה hoc eſt, *abſcondita*: quia virgines in O- „ riente non domi tantũ reconditæ erant, ſed & in publicum prodeuntes, quoad vultum imo totum corpus erant contectæ. Velamen illud Virginum ſi caput tegeret, *peplum*; ſi faciem, *reticulum* vocabatur, quod ex tenui filo vel ſerico erat contextum, & minutis maculis vel plagulis diſtinctum. Circa oculos duo habebat foramina, unde proſpicerent. S. Hieronymus in Comment. in Eſai. hæc virginum tegmina vocat *Theriſtra*, ideò, quod ἐν θέρει, hoc eſt in æſtate, cumprimis corpora fœminarum protegerent. Tertull. in lib. 4. de velandis Virginibus, cum in Chriſtianorum Virgines quasdam erat invectus, quæ velamen nimis tenue habebant, ut ſubcanditantem cutem alii videre poſſent, fœminas in Arabia commendat, quæ faciem totam ita contegerent, ut uno oculo libero eſſent contentæ, tantum abeſt, ut ubera denudarent. Quâ in re mulieres præſertim Italicæ peccant, quæ vultu, collo & uberibus apertis, in publi-

Virginum Orientalium Caſtimonia.

cum

cum prodeunt, pejores fœminis Turcarum, quæ membra omnia obnubunt. Et utinam hæc libidinis irritamenta, in Germania nuſpiam appareant, vel ſaltem nemo tam turpi uberum ſpectaculo moveatur, & capiatur. Nam ut rectè Poëta:

Qui videt is peccat, qui non hæc viderit ille
Non cupiet facti crimina lumen habent.

VMBRACVLVM JONÆ.

Jon. IV.

LEgimus Jon. IV, 6. quod Deus, *magnam ſtirpem*, juxta Niniven, Jonæ pro umbraculo creaverit. Hæc *ſtirps* apud Ebræos dicitur קִיקָיוֹן quæ quæſo hæc ſtrips? S. Hieronymus cum Vulgata verſione putat, *hederam* fuiſſe, cujus tres ſpecies Botanici cum Dioſcoride ſuo tradunt. Mercerus & Ariæmontanus exiſtimant, ricinum fuiſſe, quam vulgo palmam Chriſti dicimus, ideo, quod figura hujus herbæ palmam, digitis oſtenſis videatur exprimere. Nec videtur hoc improbabile cum Bellonius etiam, qui Palæſtinam ipſe adiit, dicat: *Se in Inſula Creta Ricinum arboreæ magnitudinis vidiſſe, cujus folia fere ſesquipedalia fuerint, ut facile pro umbraculo haberi potuerint.* Alii inter quos eſt Marcus Marinus, in arca Noæ, quam deſcripſit, putant: h. l. intelligi ſtirpem, quæ germanice dicitur ein Wunder- oder Creutz-Baum / cujus ſemen ſingularem vim habet provocandi vomitum. Unde & Ebræi putant dici *Kikajoth* a voce Ebraica קִיא quæ *vomitum* ſignificat. Arabum ſententia eſt, hoc frutice intelligi *Aloaspha*, quo nomine cucurbitam appellant, eodemque ſenſu B. Lutherus reddidit der HErr ſchaffte einen Kürbiß. Ubi tamen ſciendum, quod B. Lutherus in verſione ſcripturæ, hunc mo-

rem ſervet, ut in reddendis vocibus peregrinis, ad noſtras regiones ſeſe accommodet. Ultima eſt ſententia 70. interpretum, qui per *Kikajoth* intelligunt *Kolochinthidem* quæ & ipſa ſpecies cucurbitæ ſylveſtris. De eodem frutice accipi volunt illud 2. Reg. IV. 39. Ubi *Eliſa vim Kolochinthidis inſperſa farina, ſuſtuliſſe dicitur.* Ut enim *Colochinthis* ſe veneni inſtar in ſtirpes ſibi vicinas inſerit, ita comeſta, & cordi, & jecori, & ventriculo nocet, imprimis viſcerum tormina excitat, teſte Matthiolo in Dioſcoridem. Hinc cum Diſcipuli Eliſæ acredinem ejus guſtaſſent, exclamarunt *mors in olla, Vir Dei!* Vid. Valeſ. in Phil. ſacra, in qua pluribus de hac herba egit.

SECTIO III.

Atiquitatum Biblicarum De VETERVM CÆLTIS & STYLIS

Iob. XIX. v. 23. Cum Hiob, fidei ſuæ confeſſionem *Scio quod Redemtor meus vivit &c.* edere jam vellet, ſolenniter eidem præfatus fuit hoc modo: *Quis mihi tribuat, ut ſermones mei in libro, ferreo ſtylo ſcribantur, vel plumbi lamina aut cælte in ſilice ſculpantur.* Alii pro *Cælte* legunt *certe* ſed malè. Eſt enim *Cælte* inſtrumentum ferreum in cono præclarum, per quod imagines vel literæ in gemmis vel metallis effigiantur. Andreas Pluvus in Lexico ſuo Biblico *Cælte inquit eſt ſtylus ferreus vel chalybæus,*

quo

quo literarum imagines in ſilice ſculpuntur : Idem verò cum eo quod germ. Ein Meiſſel. Caſaubonus lib. 4. Athæn. c. 20. *Cælte idem eſt quod Cælum græc.* γλυφεῖον. Dum verò S. Hiob ſermones ſuos in libro, vel cælte in ſilice vult ſculpi, anſam nobis præbet in ea inquirendi, quibus vereres ſoliti ſunt, res memorabiles inſculpere vel inſcribere. *Ubi primum Scriptionis Veterum ſubjectum* facimus, nempe *lapides & Saxa.* Nam in his jam ante diluvium, homines ſculpere ſolitos, docet Joſeph. lib. I. Antiquit. cap. 3. Ubi refert Nepotes Patriarchæ Seth. inſignes fuiſſe Aſtrologos, & præſciviſſe, fore, ut mundus vel flammis vel aquis periret. Ideoque inventa ſua ne perirent, duabus columnis, quarum altera fuit lapidea, altera latericia inſcripſiſſent. Sed diluvio latericiam duffluxiſſe, verum ſaxeam illam remanſiſſe, eamque ſua adhuc ætate, hoc eſt ſub finem Seculi I. â Nato Chriſto in Syria oſtenſam. Quod ſi ita ſit, antiquiſima fuit ratio ſcribendi in lapidibus vel ſaxis. Ipſum Deum digito Decalogum Tabulis lapideis, vel ſaxeo volumini inſcripſiſſe, legitur Exod. XXIV. v. 11. Quin & in hunc usque diem tot in atriis templorum & alibi lapidea vel ſaxea monumenta, morem veterum ſcribendi in lapidibus, eleganter oſtendunt. *Secundum* Scriptionis Veterum *ſubjectum* fuit *Æs* vel *Metallum*, *Aurum*, *argentum &c.* Hinc juxta Ovid. lib. 1. Metaphor. *Verba minantia fixo aëre ligabantur.* De Gallis eſt Autor Trithem. in Breviar. Annal. Francicorum lib. 1. Quod publica monumenta argentea habuerint, quin & adhuc hic mos ſcribendi ſuperat, quod tot aureæ & argenteæ Monetæ ad oculos demonſtrant. *Tertio* Veteres ſcribere ſoliti ſunt *in tabulis cereatis vel cera obductis* in qua ſtylum uſurparunt. Habebat autem ſtylus duo extrema, alterum quo ſcribebant in cerâ & acumen vocabatur. Hinc illud Cic. *Omnia acumen ſtyli ſubeant, vel in cera ſcribantur.* Al-

terum ſtyli extremum erat obtuſum, quô delere iterum ſolebant, & ceram denuo complanarunt, ſi quæ ſcripta non placuiſſent. Hinc eſt illud Horatii: *Sæpe Stylum vertas*, hoc eſt corrigas & emendes. Ad has tabulas cereas Spiritus S. reſpexit, cum *peccata Judæorum ferreo, imò adamantino ſtylo, ſuper tabulam cordis ipſorum exarata* dicit. Jerem. XVII. v. 1. Et ab his tabulis, oriundus eſt claſſicus ille modus loquendi: ſcribere aliquem hæredem in prima vel ſecunda cera vel tabula cereata. Tabulæ autem quæ cerâ obduci ſolebant ê ligno erant fabrefactæ, plerûmque ê buxo. Hinc Eſ. XXX. v. 8. Deus Prophetam jubet, *Conciones ſuas in buxo conſcribere.* Sed hactenus de literis ſculptis.

Quod ad *literas pictas* attinet, hæ apud Veteres ſcribi ſolebant *in arboribus, vel rebus ab arbore ſumtis.* Imprimis ſcriptioni olim ſerviebant folia, præſertim Palmarum. Plin. lib. 13. cap. 11. Hinc recepta fuit apud Athen. Φυλλοφόρησις, cum eorum qui ê Senatu movebantur nomina, populus in folia conſignabat. Nam quos ex tota Civitate pellebant, eorum nomina ἐν ὀστράκοις h. e. in teſſaris ſcribebantur, atque hic erat *Oſtracismus*, quâ de re videatur Jul. Pollux lib. 8. c. 15. Præter folia, veteres in libris arborum vel in interiore cortice arboris, quæ inter exteriorem corticem & lignum ipſum interjacet, ſcribere ſolebant. Imprimis autem corticem librorum & Papyrum, Plantam Ægyptiacam, quæ ultra duo cubita non excreſcit, adhibuerunt. Denique ex arboribus confectæ ſunt olim tabulæ ligneæ, codices dictæ, quæ ex arborum codicibus fierent. Nam ut â *Clauſtrum* eſt *Cloſtrum*; ſic â *Caudice* formatur *Codex*, & in forma diminutiva *Codicillus*. Porrò Veteres ſcripſiſſe legimus *in linteo vel libris linteis.* Hinc Martianus Capella lib. 2. *volumina carbaſina* commendat. *Carbaſus* eſt linteum miræ tenuitatis, in Hiſp. primo repertum, teſte Plin.

Oſtracismus unde

Carbaſus quid?

Plin. lib. 19. cap. 1. Perſas olim *in ſerico* ſcripſiſſe, Autor eſt Symmach. lib. 4. Ep. 34. Indis fuit mos ſcribendi in *Sindone*, quod refert in vita Apollonii Philaſtrius: quin & hoc ipſum in quo jam ſcribitur, eſt *charta*, ex linteis concerptis & contuſis. Sed & *animalium pelles* Scriptionis ſubjectum præbent, hujusmodi enim membranas inde ſic dictas, quod ſint pelles animalium membris detractæ. Quod ad *pergamentum* attinet hæc ejus origo eſt. Fuit olim æmulatio quædam, inter Reges Ægyptios, Ptolomæos dictos, & *Reges Pergamenos* de Nobilitate Bibliothecæ. Rex Ægyptius, ut laudem Regi Pergameo præriperet, mandavit ne quæ charta efferretur. Sed Rex Pergamenus in defectu chartæ, animalium pelles detraxit, & in membranis libros ſcribi fecit, adeoque a *Pergamo urbe Aſiæ, membranam in hunc usque diem pergamenum dicimus*, quod optimum olim Pergama afferebatur. Sed hujusmodi membranas David reſpexit, cum ſub nomine Meſſiæ dixit: *Ecce vénio, in volumine libri ſcriptum eſt de me* Pſ. XL, 8. Hoc eſt, in membranis in rotundum convolutis & complicatis. Solebant enim veteres Judæi in oblongis membranis ſcribere, & poſtea tales libros in *cylindri* formam convolvere: cujusmodi volumen involutum, hæc ipſa Academia noſtra in vicina Bibliotheca conſervat, ut Torah ſive Pentateuchus hebraice ſcriptus, & more antiquo convolutus adhuc oſtenditur. Hinc natus eſt mos loquendi *evolvere librum*, quin & ad hunc morem reſpexit Propheta Eſ. XXXIV, 4. ubi prædixit, fore ut *cœli ſicut liber complicarentur*. Denique Veteres a quadrupedibus aliis deſumſerunt, in quo ſcriberent, nempe Ebur, dentem Elephantis. Negat quidem Scaliger in Ebore ſcribi potuiſſe, ſed refellit illum Martialis qui lib. 14. Epigr. 5. ſic ait:

Langvida ne molles obſcurent lumina ceræ,
Nigra tibi niveum litera pingat ebur.

ACVPICTORES.

Pſ. CXXXIX, 15.

ELegans eſt Davidis ſermo, cum embryonem ſub utero intuitus exclamat. *Mirabiliter effigiatus ſum in inferioribus terræ.* Ubi per inferiora terræ, ex omnium conſenſu, matris uterus intelligitur. Vulgatus juxta, ac LXX. interpretes hic non exprimunt, quod eſt in fonte, dum ſic reddunt. Subſtantia mea erat in inferioribus. Rectius B. Lutherus deine Augen ſahen mich da ich gebildet ward/ mitten in der Erden. Sed nec ille vim vocis Ebraice recte expreſſit. Nam in Hebraica eſt vox רָקַם quæ ſignificat *acupingere*, qua in arte cum Phryges, præſertim Idæi, a monte *Ida* dicti, olim excellerent, apud Ebræos רִקְמוֹת dicuntur *veſtes Phrygionicæ*, h.e. *Acupictæ* in modum Phrygionum. Eo autem nomine dicuntur veſtes diverſi coloris, intexto auro illuſtres de quibus hæc habet Plin. l. 4. c. 48. *Veſtes acupictas, jam in Homero invenio, unde apud Romanos cœperunt veſtes triumphales; Sed, omnium primi veſtes pingere, Idæi populi in Phrygia invenerunt, a quibus etiam Phrygiones dicuntur.* Senſus igitur verborum Davidis hic eſt: Ego more Phrygionico in utero, quaſi acupictus. Sicut enim veſtis acu picta, variis imagunculis erat ſplendida; ſic & corpus humanum ex variis membris, venis, arteriis, oſſibus, carne, cute, & imprimis ſpina dorſi, conſtat, quæ a collo usque ad os ſacrum protenditur, non aliter ac ſi ſit texilis quædam pictura. Alibi LXX. verbum *Rakam* quod eſt acu pingere reddunt ποικίλλειν variegare unde ποικιλλίτης *Variegator*, quem Latini alias *plumarium* vocant, quo nomine veniunt illi, qui ex plumis avium veſtes conficiunt, vel dum acu pingunt, plumas imitantur, easque in veſtibus exprimunt; prout in hunc usque diem

Ame-

Americani, veſtes ex variis avium plumis, concinnant. Sic & Propheta dum regium Thronum deſcribit, dicit: *eundem eſſe conſtructum plumis pulchrisque tapetibus aptum.* Germani vocant bunte Tapezereyen / quales ſunt, in palatiis principum & ædibus divitum, & cum ejusmodi tapetibus humani corporis ſtructura eleganter confertur. De cætero Hiob eandem corporis formationem conſiderans, non minus pulchre eam confert, caſeo coagolato Job. X, 10. *Sicut lac* inquit *me liquefeciſti & tanquam caſeum coagulaſti.* Quod Vatablus in notis ad hunc locum ita exponit: *Tu ô Deus ex liquido lacte (ſemine quod liquidi lactis inſtar ſe habet,) me feceſti & ex materia illa coagulaſti & in hæc membra conformaſti.* Hermes Trismegiſtus cum idem expenderet, quis nimirum homini oculos, aures, nares, ita formaſſet, quis labia oris diſtendiſſet, quis cordi formam pyramidis indidiſſet, ex mirabili corporis humani artificio, artificem admirandum, Deum Optimum Maximum; ejus circa hominem providentiam pulchre demonſtrat. Nec immerito Galenus libros de uſu partium humani corporis ſacrum ſermonem dixit, ideo quod corporis noſtri mirabilis ſtructura nos ad Deum Deique providentiam manu quaſi ducat.

FERA ARVNDINIS.

Pſ. LXIIX, 3.

Cum non ſit obvium quid ſibi velit Pſaltes dum orat Pſal. LXIIX, 3. *Increpa Deus feram arundinem, congregationem Taurorum, cum vitulis populorum* B. Lutherus: ſchilt das Thier in Rohr die Rotte der Ochſen mit ihren Kälbern. Juvat beneficio hiſtoriæ hanc arundinis feram exponere. Sciendum hoc loco eſt, in nonnullis Regionibus arundi-

arundines vel calamos, in arbores excreviſſe, adeo ut hinc jacula vel ſagittæ confici potuerint. Hinc ſcribit Plin. lib. 16. c. 36. Multos populos pro lanceis, arundines uſurpaſſe. Quid? *toto Oriente bella arundinibus geſta ſunt.* Sic in Hiſtor. Indiæ Orientalis part. 3. cap. 19. legimus, in uſu fuiſſe cannas ſagitivomas, quarum ſagittulæ tereres erant, & ex arundine fabrefactæ. Quin & Virgilio arundo dici ſolet, ſagitta, quod hæc ex arundine fieret. Sic 4. Æn. *hæret, lateri lethalis arundo.* His ita jam poſitis, conſtat, per *feram arundinis* h. l. intelligi, militarem exercitum, haſtis & lanceis, vel arundine factis, vel longis fuſtibus, quæ inſtar arundinis habuerunt, inſtructum. In ſpecie exiſtimo, â Davide h. l. feram arundinis vocari, *Regem Ægypti, ejusque duces & milites*, quia ſtatim in Textu ſubjicitur; *Venient magni ex Ægypto principes.* Confirmat nos in hâc Sententia Sixtinus Amama, in Antibarbaro ſuo Biblico, l. 3. ubi probat, Ægyptum pro cæteris provinciis arundine & codice abundaſſe, & optimos ſemper calamos in Ægypto fuiſſe, adeo ut Hieroglyphicis, *carex* & *calamus*, vel *arundo*, *Symbolum Ægypti fuerit.* Hinc Auguſtus, devictis Antonio & Cleopatra, pro Ægyptio, in moneta *Crocodylum in arundine* poſuit. Ratio verò ob quam Rex Ægypti *fera arundinis* vocatur, ab Abrah. Schulteto ſuper hunc locum hæc redditur, quod in Ægypto arx regia undique arundineto fuerit cincta. Videatur Oratio Sclulteti de Philoſophia cum Theologia conferenda. Sed hic jam porro quæritur, quosnam David intelligat per Tauros, & Vitulos. Exiſtimo ſub Tauris Duces, ſub Vitulis Milites Ægyptiacos intelligi: In quâ ſententia nos confirmat, quod apud Ægyptios multa fuerint *Bucolica.* Hoc autem nomine, Ægypti loca paludoſa appellant, in quibus & paſtores pecora paſcere & latrones ſe recondere ſolebant. Teſte Herod. l. 1.

ACER-

ACERVUS MERCVRII.

JUxta Salomonem Prov. XXVI. 8. *is, qui ſtulto honorem defert, ſimilis cenſetur homini, qui lapidem in acervum Mercurii conjecit*, ita enim Vulgatus reddidit: Quis quæſo hic acervus Mercurii? In hiſtoria Romana legimus, Cornelium Grachum, ne viatores cum tædio viæ ignari, aberrarent, in viis publicis hinc inde columellas, vel ſaxa erexiſſe; quibus notas numerorum, unde milliaria conſtarent, incidi fecit. Alibi ipſe Mercurius viarum præſes in biviis fuit erectus, trunco habitu, & ſuper quadrato lapide. Hæ columellæ erant ſignum viæ, græce ἑρμαῖ, ſimiles quodammodo iis, quas hodie dicimus Hand- oder Wegweiſer. Ad hujusmodi λίθους ὁδηγοὺς reſpexit Jer. XXXI. 21. Cum Judæos monet, *ut in agris ſtatuas vel lapides, qui viam monſtrent, erigant*, in certum ſignum, fore ut ex captivitate Babylonica reverterentur. Ubi columnæ ejusmodi non erant, lapides acervari ſolebant qui vicem illarum ſupplerent. Jam ſi quis Viator hos lapides Mercuriales tranſiret, pietate dicam, an ſuperſtitione inductus, lapillum huic lapidum acervo injicere ſolebat. Hinc interdum hi lapidum acervi in montes excreverunt. Ex his jam ſenſus verborum Salomonis facile petitur. Sicut enim vanus & irritus eſt Mercurii cultus, ſi quis lapidem hujusmodi acervo injiciat, ſic & vanus eſt honor homini ſtulto delatus. In Ebraico Textu hic acervus Mercurii dicitur *lapis marcolis*, ſed omnino exiſtimo, Mercurium intelligi per marcoles cum apud Ebræos ל & ר ſint literæ permutabiles. Juxta Rabbinorum monumenta, marcoles fuerunt duo magni lapides, unus hic, alter illic poſitus, cui tertium impoſuerunt, quem Rabbini vocant *Dominum cotis*. Natum inde eſt Ebraicum proverbium, cum hominem impium deſcribunt, *quod*

lapidem ad marcolas projiciat. De cætero, apud interpretes variæ ſunt opiniones. Novum eſt quod Johannes Saresbienſis in nugis ſuis curialibus quas vocat, ſic commentatur: *Ego inquit cum venia ſapientum acervum Mercurii credo rationem calculandi, quia Mercurius Deus mercatorum & Arithmeticorum creditur, ut proinde hic ſit ſenſus dicti: Sicut ille qui in acervum, quo calculus inſtituitur, lapillum unum adjicit, totum calculum turbat; ſic & rempubl. perturbant cum indigni ad honores evehuntur.*

SERVI LITERATI.

Pſ. XL. 7.

EMphatica ſunt verba, quibus, Pſaltes ſub Meſſiæ perſona utitur; *aurem perforaſti mihi* aber die Ohren haſt du mir auffgethan: qua loquendi formula, ad ritum in populo Judaico receptum, reſpexiſſe videtur. Nam ſi quis ſervus apud Judæos, amore in liberos vel conjugem, vel patrem familias inductus, nollet, quomodo liceret, ſervitio egredi; ſolebat Dominus, eundem ad poſtem vel januam ædium ſuarum adducere, ejusque aurem ſervi applicare, eandemq; ſubula perforare; ut videre eſt Exod. XXI. 6. Deut. XV. 17. Hæc perforata auris erat ſignum perpetuæ ſervitutis, quod ſc. ſervus jam ad domum heri ſui affixus hæreret, nec ſine ſpeciali conſenſu heri de familia egredi poſſet. Itaque cum Meſſias ait: *aurem perforaſti mihi*, ſenſus hic eſt: *Tu o Deus me unigenitum & unice dilectum filium tuum in perpetuum ſervum aſſumſiſti, ego perenni tuo ſervitio, non aliter atque ſervus, cujus auris ad januam fuit perforata, me mancipavi.* Ut proinde hæc aurium Meſſiæ perfoſſio, denotet promtam, conſtantem, perfectam obedientiam, quam filius Dei aſſumta ſervi forma, patri ſuo exhibuit. Hinc

ſtatim

ſtatim adjicit. *Ecce! adſum ut tuam o Deus voluntatem exequar.* Apud cæteras gentes Græcos & Romanos, moris non erat, ut aurem ſervi perforarent, ſed vel dorſum ſervi cauterio notare, vel faciei literam inurere ſolebant, a qua ſervi literati vocabantur, quod ſtigmata in vultu ſervi inſtar literæ habebant. Hinc Seneca, indoctos quosdam divites ridet, qui ut docti viderentur, multos libros oſtendere ſolebant, cum ipſi ne literas quidem ſervis impreſſas noſſent. Videatur Cœlius Rhodiginus lib. 13. Lectionis Antiquitatum cap. 50. & lib. 4. c. 31. Notabile eſt quod Salvator noſter formam literati ſervi geſſerit in cruce, cum manus ejus & pedes & latus perforarunt. LXX. interpretes paulo longius a fonte recedunt, cum hæc verba ſic reddunt: *Corpus concinna mihi.* Nihilominus hanc verſionem in Nov. Teſt. retentam videmus Ep. ad Ebr. X. 5. Ubi ſacrarum literarum Studioſi obſervent. Evangeliſtas & Apoſtolos in allegandis dictis Vet. Teſt. communiter verſionem LXX. interpretum retinere, quamvis cum fonte non ubique conveniat. Ratio eſt, quod hæc verſio tum temporis in gentibus diſperſa, omniumque fere manibus trita eſſet. Teſte S. Hieronymo Quæſt. in Gen. c. XLV.

TONSVRA VETERVM

Eſ. VII. 20.

MInatur Deus, *quod novacula conducta, caput & barbam, & pilos Judæorum univerſos abradere velit*, quo ipſo denotatur, fore ut Judæi in ſervitutem redigantur. Nam tonſura corporis, apud Veteres mancipationis erat ſymbolum. Hinc ſcribit S. Cyrillus ſuper Amos: *Valde ignominioſum erat caput decalvari, ſolebant enim victores captivis*

vis capita abradere, ut constaret servos jam esse, nec raro captivi sua sponte crines tondere solebant, in signum mœroris. Hinc Es. III. 24. Deus fastuosis virginibus calvitiem minatur. Ubi notetur, apud Judæos tria luctus signa fuisse (1) *Scissionem vestis.* (2) *Obtectionem vultus.* (3) *Detonsum caput*, quorum ultimum, iterum tria subindicabat (α) Captivitatem, (β) Servitutem, (γ) Ingentem, quemvis mærorem. Atq; hæc tria Deus intelligit, cum dicto loco minatur, *se velle caput & barbam & pilos omnes abradere.* Neque vero in sacris solum, sed & in civili historia hæc detonsio capitis talia denotavit. Hinc Propertio, l. 4. Elegia XXI. Africa tonsa, Claudiano, detonsa Sicambria, dicuntur. Provinciæ sub jugum servitutis redactæ, quin & Pomponius Lætus de Diocletiano scribit: Quod in ejus triumpho captivi, rasis capitibus in signum servitutis suæ, Currum Triumphalem sint subsecuti. Per novaculam autem Rex Assyrius intelligitur, quo tanquam instrumento Deus voluit uti. Dicitur ille novacula conducta ob tres causas 1. Respectu Regis Ahas, qui magna illum mercede conduxerat. 2. Respectu Assyriorum. Hi enim erant turpis lucri cupidi & facili pretio ad bella conduci poterant. 3. Respectu Dei, hic enim impiorum operam quasi conducere solet, ut ad tempus iis in exequendo utatur. Hinc alibi idem Rex, *Dei serra & virga furoris Domini* dicitur. Denique observetur, quod Deus hac conducta Novacula, caput, barbam & pilos pedum detondere velit, *ubi per caput*, Reges & Principes in Juda, *per barbam* sacerdotes, per *pilos pedum* homines plebeji intelliguntur. Videatur Cornelius a Lapide Comment. in hunc locum & Ariæ-Mont. in Appar. suo biblico.

SALV.

SALUTATIO REGUM.

SOlennis olim consvetudo fuit, ut qui in Oriente Regem accederet, vitam & salutem ei sub initium sermonis precaretur. Hinc Dan. II. Chaldæi ad Regem Babyl. ducti, initium sermonis hoc faciunt: *Rex æternum vive.* Similem modum Regina Dan. V. v. 10. Satrapæ coram Dario Dan. VI. v. 6. Imo Daniel ipse cap. 6. v. 12. usurpasse legitur. Nec in Scripturis tantum; sed & profanis historiis vestigia hujus cosvetudinis observamus. Hinc Quintus Curt. l. 16. c. 6. scribit: Artabazum fidelissimum Darii ministrum, cum omni sua familia Regi Alexandro occurrisse his verbis: *O Rex, perenni felicitate flore! Ego quidem lætus hoc uno torqueor, quod Senex tua bonitate diu frui non possim.* Similiter Ælianus refert; Persam quendam procul â tugurio suo Artaxerxi obviam factum, cumque non haberet munus, quod Regi offeretur, undam utrâque manu ex flumine vicino hausisse, & ad Regem detulisse hoc addito sermone: *O Rex regna æternum.* Græci has salutandi formulas tribus verbis χαίρειν, ὑγιαίνειν, εὐπραττειν exprimere soliti sunt, ê quibus τὸ χαίρειν ad animum, τὸ ὑγιαίνειν ad corpus, τὸ εὐπραττειν ad res externas pertinet. Ut perindè Græci his tribus formulis trigam bonorum omnium, animi, corporis & fortunæ sibi invicem sint precati. Inter Latinos hæc erat formula *Vita & felicitas Cæsari!* Quin & ad hos votivos applausus referri meretur solennis acclamatio, quâ Judæi Salvatorem in urbem introduxerunt, dicentes: *Hosianna Filio David*, h. e. Vivat Rex noster Messias.

SAL

SAL FOEDERIS.

Esdr. IV. v. 14.

IN literis quas Senatus aulicus, contra Judæos templum reparantes, ad Regem dederunt, inter alia hæc verba extant: *Nos memoris ſumus Salis, quem una comedimus.* Hæc verba trifariam exponi ſolent 1. Nos recordamur amicitiæ, quam ad menſam Regis, una comedentes, contraximus. Erat nempe apud Veteres Sal Symbolum fœderis, quia fœdera ſale plerumque comeſto ſanciri ſolebant. Hinc Euſtaſio dicitur Sal *τῆς φιλίας*, Symbolum quod hoſpitibus ante alios cibos in menſa fuerit propoſitum. Ratio verò ob quam Veteres comeſtione Salis fœdera ſanxerunt, hæc erat, ut indicarent, ſe pacta ſua ſanctè ſervaturos, perinde ac ſi Sale condita eſſent, quæ enim ſale condiuntur, putredini obnoxia non ſunt. Hinc Lev. II. v. 13. Sal fœderis dicitur, quod in Sacrificium ferè omnibus adhibendum fuit, quin & Num. XIIX. v. 10. Memoratur pactum Salis, quo Luth. reddidit. Einen unverweßlichen Bund & in Gloſſa. Nach den Hebreiſchen heiſt es ein Saltz-Bund. Denn wie das Saltz das Fleiſch unverweßlich hält / alſo ſoll auch Gottes Bund unverrückt bleiben / eben ſo redet die Schrifft 2. Paral. XIII. v. 15. Alii, verba ex Libello Esdræ adducta, de excidio Templi Hieroſolymitani accipiunt. Ut hic ſit ſenſus. Nos recordamur, quò Sale olim Templum Hieroſolymitanum ſalivimus. Cum nimirum Templum funditus evertimus, ſine omni ſpe reſtitutionis. Et ad eundem modum B. Luth. expoſuit. Wir ſeynd alle bey einander / die wir den Tempel zerſtöret haben. Ubi notandum quod apud Veteres *Sal* ſignum ſterilitatis, & totalis diſſolutionis fuerit. Hinc antiquiſſima conſvetudo, ut ſi quem devaſtatum, vellent locum, eidem Sal inſpergerent, quæ inſperſio Salis denotabat;

notabat; quod locus ille in perpetuam ſolitudinem redactus eſſet. Hunc ritum ſervavit Abimelech, cum urbem Sichem funditus deſtruxiſſet Jud. IX. v. 45. Quin & Deus ipſe minatur, *ſe velle terram in Salſuginem convertere*, hoc eſt, ſterilem & deſolatam reddere, quia Sale nihil eſt ſterilius teſte Plin. 31. cap. 9. Exemplum horrendum in Sodoma & Gomorrha extat, quæ Regna olim fertiliſſima, hodie ob inductum mare ſalſum, prorſus ſunt ſterilia: cujusmodi incommodum, ante annos non multos, Inſulæ *Dithmarſiæ* contingit, quam mare inundavit, & ſalſedine ſua ſterilem reddidit. Eodem modo Zeph. II. v. 2. Deus, Ammonitis minatur, *quod terram ipſorum in ſalſifodinas convertere velit*, hoc eſt ſterilem reddere. Tertia denique Expoſitio hæc eſt: Memores ſumus ſalis, quod olim una comedimus h. e., Recordamur beneficiorum & ſalariorum, quæ ex Regis Aula & ad Regis menſam accepimus; ideoque pro ſalute Regis merito vigilamus. *Nam multum Salis in aula comedere dicitur, qui â Rege vel Principe beneficia multa eaq; ſatis diu accepit.* Hinc adhuc â Sale dicuntur *Salaria*, germanice Sold / item Beſoldung. Ratio nominis eſt, quod olim *annua ſtipendia*, *Panis* & *Sal* eſſent. Videantur Originalia Cor. Beccani.

SATRAPÆ PERSARUM.

Esth. I. v. 3.

LEgimus dicto loco, *Regem Ahaſpherum ſuis* פַּרְתְּמִים *Convivium apparaſſe*, cujus vix ſimile in orbe eſt habitum, ſed qui fuerint hi *Parthemim*, variè diſputatur. B. Luth. reddidit: Der König machte ein groß Mahl ſeinen Gewaltigen / Landpflegern und Obriſten im Lande. Secutus forte Rabbi David Kimchi, qui *Parthemim*, inquit, *dicuntur Perſarum*

ſarum Principes & Magnates ab ortu illuſtres. Ego verò exiſtimo *Parthemim* eosdem eſſe, cum iis, quos alii Scriptores Regis cognatos vocant. De quibus ita Druſius: *Reges Perſarum habebant cohortem, decem millibus Equitum conſtantem, quos immortales vocabant. Nam ſi qui horum morerentur, vel alio morbo laborarent, ut ad officia Regi præſtanda inhabiles eſſent, ſtatim in eorum locum alii ſurrogabantur. Ita ut numerus ille ſemper completus eſſet. Germani vocant* das Leib-Regiment. *In hoc Equitum numero qui proximè Regi â latere eſſent, cognati Regis vocabantur; etſi nulla conſanguinitate Regem contingerent.* Atque hos Regios cognatos Druſius putat Parthemim dictos. Videatur Q. Curtius lib. 3. Hiſtoriar.

EUNUCHI

Eſth. II. v. 12.

REfertur h. l. *quod duo Eunuchi Regis Abaſveri, contra Regem conſpiraverint*, quam tamen conjurationem Mardochai detexit. Ubi de Veterum Eunuchis ſciendum, quod eo nomine non ſemper dicantur exſecti, & ad exercitia corporis reddenda inhabiles reddditi, ſed in genere, Primarii Aulæ Præfecti, & Regis miniſtri, quamvis caſtrati non eſſent. Sic in Aula Regis Pharaonis, *Potiphar traditur Eunuchus fuiſſe, qui militum miniſter eſſet*, exſectum tamen non fuiſſe conſtat, quod uxorem habuerit Gen. 39. v. 1. Et fortaſſis quoque filiam. Nam Potipharis filiam Joſephi Uxorem fuiſſe cap. 41. v. 45. narratur. Itaque Eunuchi apud Veteres in genere dicuntur: Regii miniſtri, hi præſertim, quorum ſpectata fuit fides & pietas. Sicut enim homines caſtratos, qui propriè ſunt Eunuchi, intimis Regum cubuculis, præſertim Gynæceo præponi ſolebant, quod

Domini

Domini de ipſorum fidelitate certi eſſent. Ita poſtea fideliſſimi quoque Miniſtri, præſertim qui ab intimis Regi fuerunt, Eunuchi appellabantur, ſimiles iis, ad quos Principes hodie ſcribunt: Unſern lieben getreuen hinc B. Luth. dicto loco reddidit, Des Königes Cämmerer/quales coram menſa Regis Perſarum ordinarie ſeptem miniſtrarunt, quod non tantum ex libro Eſther cap. 1. v. 10. ſed & ex Xenophontis Cyropædia lib. 7. conſtat. Sunt tamen alii, qui Ægyptium illum Pharaonis Eunuchum Potiphar, ideo exſectum ſtatuunt, quod in Ægypto etiam Eunuchi ſuas uxores habuerint, non ad ſolvendum debitum conjugale, ſed ad explendam libidinem, & propter ſalacitatem, imo, hanc cauſam fuiſſe, quod Potipharis uxor, marito ſuo non contenta, cum Joſepho concumbere volebat. In N. T. Salvator Matth. XIX. v. 12. tria genera Eunuchorum recenſet. 1. Sunt *Eunuchi ab ortu* qui ad Venerem inhabiles nati ſunt. 2. Alii *Eunuchizati*, vel ab hominibus tales effecti. 3. Alii *Eunuchi Spiritu* vel improprie dicti, penes quos voluntas libidinem in ordinem redegit, ita ut quamvis generandi facultatem habeant, nihilominus ſtudio perfectionis vitæ, contineant. Hinc mirum videtur, quod Origines ſi continere ſe potuiſſet ſeipſum exſecuerit, quod factum non immerito poſtea Eccleſia deteſtata eſt. Pulchrè Epiphanius. *Origeniani, nuptias intermittunt, laſciviam non idem.* Dicuntur Eunuchi ab Ευνὴ h. e. cubile & Ἔχω habeo, ut proinde Eunuchus latine dici poſſint *Lecti cuſtos*, quia homines caſtrati, lectis & Gynæceis præeſſe ſolebant. Alii Eunuchum derivant, ab εὖ bene & νᾶς & ἔχω habeo, quod Vetereſ putarint, cœlibe vita mentem optimam conſervari. Unde etiam nonnulli rem veneream, amentiam dixerunt. De cætero apud Veteres legimus, Eunuchos in pœnam ſtuprivel adulterii factos, quod ex Plauti Milite & Ter. Eunucho ſatis

constat. Refert Olear. in Itin. suo Pers. lib. 4. cap. 14. *Regem Persiæ habuisse Cancellarium, qui puerum per vim stupraverat, re peracta, Rex illum capite plectere volebat. Sed statim Cancellarius sibi ipsi Testiculos exsecuit, & Regi obtulit* dicens: *O Rex sine capite tipi servire non possum, sed sine testiculis, & publica & privata officia alacriter subibo. Quo ipso non vitam tantum, sed & auctiorem Regis gratiam obtinuit.* Apud Turcas sunt porrò alii Eunuchi morbo, communiter ob calculum tales facti, de quibus *Spadonibus* Paulus Ægineta lib. 6. videatur. Hodie apud Turcas nihil est Eunuchis frequentius, de quorum officiis legi meretur Busbequius, qui per octennium Legatus Cæsaris in Aula Imperatoris Turcici fuit, Epist. 3.

VARII PERSARVM MORES.

Ex lib. Esth. cap. 8. v. 14.

MOris erat apud Persas, ut certis Stationibus positos Tabellarios haberent, quorum alter alteri literas tradebat, ut eo celerius perferrentur. Solebant enim Persæ, sua Itineraria in certas *Parasangas* dividere, & cum nuncius quis *Parasangam* absolverat, quiescebat, & munus suum in alterum porro euntem per vices transferebat; quod nos docet Herodotus in Urania. His cognitis, jam facile intelligitur: quinam in libello Esther dicto loco βιβλιόφοροι vel regii cursores germanicè, die reisende Post dicantur, qui decretum, in urbe Susan in Judæos conditum, toto orbe circumtulerunt. Surdas refert hos βιβλιόφορους Persico nomine *Astandas* vocari. Nos inde discimus, quod institutio ista Postarum qualis in nostro imperio hodie obtinet, non sit recens inventum, sed jam priscis seculis fuerit in usu. Additur præterea dicto loco, quod Rex Ahasverus Hamano, patibulo

tibulo jam condito, annulum ſuſtulerit, eumque Mardachæo dederit. Nam apud Perſas nemini licuit, purpuram, vel aureum annulum, geſtare, niſi Rex concederet, quod ſua adhûc ætate receptum. Procopius refert in libro de Bello Perſarum. Si quas verò literas Rex ſuapte annulo obſignaſſet, horum tanta fuit majeſtas, ut ſine magna reverentia, nemini illas accipere licuerit, tantum abeſt, ut quisquam iis contradicere auſus fuiſſet. Perinde ut hodie Turcæ, literis ſui Imperatoris nihil ferè ſanctius habent, hinc cum genibus flexis & oſculo illis excipiunt. De Cætero, Annuli quibus Reges Perſiæ in obſignandis literis hodie utuntur, non habent inſculpta majorum inſignia, ut noſtri annuli ſignatorii, ſed vel ſolum nomen ſcribentis, vel tantum ejus Symbolum, aut memorabile aliquod dictum. Denique noterur, inter regia donaria Perſarum, non annulos tantum; ſed *cidarim* fuiſſe. Hinc Pſeudo Eſdra in Hiſtoria trium σωμαλοφυλάκων refert, â Rege Dario ampliſſima munera, aureum poculum aureum lectum & *cidarim* ex byſſo, & auream torquem promiſſa fuiſſe illi, qui ſententiam optimam proferret. *Cidaris* apud Perſas *erat vitta frontalis*, holoſerico, gemmis & auro illuſtris, quâ caput ornare ſolebant, qualem ornatum adhuc hodie Perſæ vocant *Teſch*. Meminit ejus Curt. lib. 3. apud *Perſas*, inquit, *Cidaris erat regium capitis inſigne quod cæruleâ faſciâ erat cinctum.*

Apud Perſas nemini licuit Purpuram l. aureum annulum geſtare.

SECTIO IV.

Sacrarum Antiquitatum ex LIBRIS ECCLESIASTICIS ELEVATIO INFANTVM DE TERRA.

Sap. VII. 3.

AUtor ſapientiæ Salomonis, quem alii Philonem Judæum faciunt, Regem ita loquentem introducit: *Ego natus æque ac cæteri in terram decidi*; quo ipſo ad veterem morem alludit. Solebant enim priſci ſuos infantes, ſimulac nati erant, in terram deponere, quô ritu hæc quatuor indicaſſe videntur. 1. Terram eſſe primam & omnium mortalium communem parentem. 2. Corpus humanum à matre editum, eſſe de terra ſumtum, idemque 3. in Pulverem terræ denuo rediturum, & 4. denique hoc ritu explorabant an rectus vel erectus eſſet infans. Atque hoc priſci vocarunt *cadere de matre*, de alvo matris decidere. Cadere in terram, apud Ethnicos, conſvetudo ſtatuendi prolem recens natam in terra fuit adeo ſancta, ut credide-rint, infantes non poſſe vocem ante edere, quam terram tetigiſſent. Hinc Deam, *Opem*, inde dictam, quod naſcenti proli opem ferret, invocabant, ut infantem ſinu ſuo exciperet, ſed nomine *Opis* tellus magna Deum mater fuit intellecta, Auguſtino teſte lib. 4. de C. D. c. 11. Eandem vocant *Levanum* eô, *quod* pueris â terra levandis præeſſet, teſt. Macrob. lib. 1. Saturn. Tertullianus vocat *Statinam*, dum lib. de Anima ſic ſcribit: *Prima infantis ſupra terram conſtitutio*

ſtitutio ſacra eſt Deæ Statinæ. Ad eundem morem alludit Ovid. dum ita canit:

Dum fuit impura matris delapſus ab alvo
Ac tutum fœdo corpore preſſit humum.

Cum verò Veteres, prolem adhuc de matre ruentem, in terra ſtatuiſſent, pater, vel avus, vel proximus cognatus, infantem dato oſculo de terra levare, genibusque & gremio ſuo veluti delicias ſuas ſuſcipere ſolebat: quo ritu indicabant, ſe partum velle nutrire atque educare; qui mos apud Græcos & Romanos notorius fuit. Hinc Papianus Statius filium ſuum ita appellat:

Ego te tellure cadentem
Excepi, & vinctum, geniali carmine ſolvi,

Et Juv. Sat. 9. *Infantem tollis? Jam pater es.* Similiter Claudianus Imperatori Honorio de nuptiis gratulatur & optat:

Parvus honoriades genibus confidat avitis.

De cætero in arbitrio Parentis erat, an cubantem de terra vellet levare, an abjicere, vel exponere, quod ab Ethnicis ſæpe factum, præſertim in fœmellis. Vide de his Expoſitiis eruditam Lipſii Ep. 85. Cent. 1. ad Belgas. Hujus conſvetudinis infantes recens natos in terram ſtatuendi eosque à terra elevandi, in ipſis Sacris literis habentur veſtigia. Hinc Gen. XXX. v. 23. *Machir dicitur liberos genuiſſe ſuper genua Joſephi*, vel quos Joſeph pro ſuis nepotibus agnovit. Ad eundem morem reſpexit Hiob, cum in hanc querelam erumpit: *Cui bono me genua exceperunt* cap. 3. v. 12. Qui locus trifariam exponitur. Schindlerus de Obſtetrice accipit, ut hic ſit ſenſus: *Cum de utero prodii, cur obſtetrix ad pedes Matris incurvata me genibus accepit, ne in terram caderem.* Brentius de Matre intelligit, hoc ſenſu: *Cur mater me recens natum filium ſinu excepit, ut ubera mihi porrigeret.* Verum ego rectius hæc de patre ipſo inteiligi puto, ut hic

sit sensus : *Cum natus , & in terra positus sum , cur pater me miserum humo sustulit , sinuque excepit ut me educaret.* His cognitis lucem accipit Classicus locus Luc. XVI. v. 20. ubi Christus refert , *Animam Lazari ab Angelis in sinum Abrahæ delatam.* Pontificii quidem per sinum Abrahæ limbum inferni intelligunt , ad quem Patriarchas & Prophetas in V. T. descendisse fingunt , donec Christus in Cœlum ascenderet , eosque per sanguinem suum educeret , sed male. Nam nec Infernus nec inferni vestibulum est locus solatii, qualis fuit Sinus Abrahæ. Rectius per Sinum Abrahæ locus beatorum intelligitur. Sed cur hic locus Sinus Abrahæ dicatur , imprimis duæ sunt sententiæ. Alii putant, Christum Sinum Abrahæ ad veterem morem accumbendi, ad mensam alludere. *Prisci enim ad mensam non sederunt, sed alter in alterius sinu super lecto cubuit* , perinde ut Joh. Apostolus in ultima cœna, ad pectus JEsu accubuit Joh. XXI. Alii , quibus nos accedimus , hâc formula ad parvos recens natos alludi , existimant , quos Pater humo tollere , & in gremium suum reponere solebat Ad eundem modum Pater credentium , Lazarum filium suum , post mortem humi depositum , humo quasi sustulit & more paterno in sinum suum recepit , ut suavi illum solatio foveret.

FVNEBRIA CONVIVIA.

Tob. IV. 18.

INter alias vivendi regulas , quas senior Tobias filio suo tradidit , hæc est : *Ut filius panes suos in sepulchra justorum effunderet.* Hæc effusio panum super sepulchra , procul dubio liberales Eleemosynas denotat. Sed frustra Pontificii ex his Eleemosynis ad sepulchra collatis , tartuum sutum ignem succendere satagunt. Respicit enim hoc loco

Tobias

Tobias ad veterem ritum Ebræorum, quo cum amicorum funera curassent, convivia agebant, non quæ defuncto prodessent, sed quæ relictis in luctu cognatis, solatio essent. Sic 2. Sam. III. v. 35. Populus omnis Regem Davidem de obitu Abneri tristem accessit, ut cum eo comederet, quin & Deus Jer. XVI. 7. Impiis Judæis minatur, *quod nemo ipsis cibum post funera amicorum præbere debeat*, vel quod nemo ipsos debeat consolari. B. Luth. sic reddit, man soll nicht unter euch Brot und Speise außtheilen euch zu trösten / auch nicht aus dem Trost-Becher zu trincken geben. Hinc conjicio, in funebri illo convivio positos in luctu, de calice quem consolationis ein Trost-Becher fuit dictus, bibere solitos. Pari sensu accipio, quod dicitur Prov. XXXI. 16. *Date siceram mœrentibus & vinum his, qui amaro sunt animo, ut bibant & luctus hi oblivisçantur.* Quod dictum cum Germanice sic sit redditum: gebet starck Getränckе denen die ümkommen sollen / occasionem præbuit in ebriandi maleficos, paulo antequam ad supplicia ducuntur. Sed mala hæc est consvetudo, nec in dicto loco fundata, nam hoc loco juxta hebraicum textum non de maleficis sermo est, sed de his qui ob amicorum funera in luctu sunt positi. De his jubet Spiritus S. *ut vinum his afferatur in solatum, & ad luctus sui oblivionem.* Sicut vero de quovis convivio lautiori, Judæi nonnulla pauperibus, ex Dei voluntate largiri solebant, prout Neh. IIX. 10. dicitur. *Abite, & fercula comedite, sed partem mittite illis, qui nihil præpararunt.* Sic & ex conviviis funebribus cibaria quædam vel ad defuncti sepulchrum mittere, vel ante ædes defuncti, quod adhuc moris est, distribuere solebant inter pauperes, qui vel juxta sepulchrum, vel juxta domum, convenire solebant. Ad has Eleemosynas faciendas, se defuncto, senior Tobias, filium suum exhortatur. Ratio, ob quam

Vere-

Veteres Judæi æque ac Chriſtiani curato funere Eleemoſynas diſtribuant, hæc eſt. His eleemoſynis ſuperſtites ſuæ mortalitatis memores in ſubſidium preces pauperum vocant, ut & ipſi beatam aliquando mortem conſequantur. Parentale hoc epulum in Sacris ſæpe memoratur Deut. XXVI. 11. it. Hoſ. IX. 4. & Sir. XXX, 10. Neque vero hic epulæ ſepulchrales apud Ebræos tantum, ſed & apud Græcos, Romanos & poſtea Chriſtianos in uſu fuerunt. Græci has epulas τάφε ἐπδοφπιες vocarunt, easque in defuncti ſepulchrum, ipſo exequiarum die, circa veſperam, celebrarunt. Tale funebre convivium, Patroclo nondum ſepulto, habitum refert Homer. 16. 20. Iliad. Epiphan. in Anchorato meminit, Græcos ſolitos fuiſſe, cibum potumque ad monumenta deferre, addito inſolenti clamore ad defunctum: *Surge, ede & lætare.* Ab hoc ritu dictæ ſunt inferiæ illæ, ipſe res, quæ ſepulchro inferebantur, græce χοαῖ a fundendo. Hinc etiam ſenior Tobias, *jubet filium panes profundere in ſepulchra.* Præter hæc convivia Græcis alia fuerunt uſitata, quæ poſt ſepulturam agitabantur, & περίδειπνα vocabantur, cujusmodi περίδειπνον agitatum fuiſſe, ſepulto Hectore, ſcribit Hom. lib. ultim. Iliad. Apud Rom. has epulas circa funera frequentes fuiſſe, eleganter oſtendit Kirchm. de Funeribus Romanorum lib. 4. c. 45. Et Wilh. Ankkius lib. 1. Antiquit. convivialium c. 45. Ubi de funeribus iisque monſtroſis barbarorum epulis varia congeſſit. Hunc ritum vel ante vel poſt funera agendi convivia, Chriſtiani in vetere eccleſia, imitati videntur, nam & hi eſculenta tumulis inferre ſoliti ſunt, qui mos, cum varios abuſus gigneret, in Conciliis plus vice ſimplici fuit abrogatus. Manſit tamen conſvetudo afferendi ad altare, nomine defuncti panem & vinum, unde non εὐχαριστία tantum, pro iis qui exſequiis iverant, ſed & Eleemoſynæ inter pauperes diſtribui ſolebant, qua de re alibi. DE

DE VETERVM ARMIS.

Ex lib. Judith. cap. V. ℣. 14.

ACHior volens Holofernem ab obsidenda Bethulia absterrere, inter alia hoc argumento utitur: *Quod Deus pro Judæis pugnet.* B. Luth. ita reddidit. Sie zogen aus / ohne Schwerdt / Schild und Bogen / Pfeile und Schwerdter / denn GOtt stritte für sie / h. l. aliquid de veterum armis dicendum, quæ cum hodie in desvetudinem venerint, divinare potius, quam certi aliquid definire oportet. Neque enim veteribus tormenta illa bellica, quorum hodie usus est, imo ne bombardæ quidem cognitæ fuerunt. Eorum loco præcipua in sacris arma inveni, arcum & gladium, quæ duo propterea in sacris sæpe conjungi solent. Sic 1. Sam. XIIX. 4. *Jonathan Davidi in signum amicitiæ arcum & gladium tradidit*, & Ps. XXXVII. 14. dicitur: *Ægyptios gladium e vagina eduxisse, & arcum extendisse. Videte opera Domini*, dicit Ps. XLVI. 8. *Qui arcum confregit & sagittas & lanceas, ferri, currusque falcatos*, (de quibus supra) *combusit*, quin & Ps. LXXVI. 3. Inter signa omnipotentiæ divinæ refertur, quod vires arcuum contriverit. Ubi vires arcuum potentiam Assyriorum denotant, quia Assyrii in bello arcubus communiter utebantur, & in hoc armorum genere vires suas locabant. Sed contritio arcuum est cessatio belli, quemadmodum extensio arcus dicitur in sacris præparatio ad bellum. De cætero veterum arma erant duum generum, alia *Offensiva* alia *Defensiva*. Inter offensiva, primum locum arcus & sagittæ tenuerunt, inter defensiva τὰ ὅπλα fuerunt, præsertim thorax, unde etiam ὁπλήτην vocarunt militem thorace armatum, ad differentiam cæterorum militum, qui quod essent thorace destituti, *nudi* vocabantur græce γυμνοὶ. In hujusmodi armis, & defen-

ſivis & offenſivis David Pſ. XXV. 3. Deum ipſum producit. *Apprehende*, inquit, *clypeum*, & *ſcutum*, *ut me adjuves* (hæc arma defenſiva) *tolle haſtam & glaudium*, *ut hoſtibus meis occurras* (hæc arma offenſiva) magna eſt emphaſis, cum in ſcripturis *ſagitta*, *ſangvine ebria & gladius ſangvine plenus* Eſ. XXXIV. 6. des HErrn Schwerdt iſt voll Blut proponitur, qua formula loquendi denotantur rubitia quæ ſangvine hoſtium occiſorum adhuc rubent. Unde in Propheta Nahum. c. II. 3. *Clypeum rubefactum* vocat. Ad eadem arma Jeremias reſpexit, cum exclamat: *Surgite in gladiis*, *ponite lanceas* Jer. XLVI. 4. ubi eleganter vocem *ſtandi* uſurpat. Hæc enim Metaph. frequens ab excubiis militum eſt petita. Nam hi *ſtando* excubant. Hinc Virgilius. *Stetit acer in armis Ænæas.* De cætero, notabile eſt diſcrimen inter veterum ſcuta & clypeos. Nam ſcuta proprie oblonga potius, quam lata erant. Hinc Græci θυρεὰς vocant, quod inſtar Januarum eſſent, quæ communiter magis longæ ſunt quam latæ. Sed & clypei erant aſpides ἔυκυκλοι h. e. rotundi, & in juſtum orbem reducti, in cujus medio exſtabat umbo, prout elegantibus docet figuris Taubm. in Not. ad Virg. Culicem. Præter hæc arma apud veteres in uſu fuit γαισὸς, *gæſus*, cujus mentio fit Joſ. IIX. Ubi Joſua ſtratagemate urbem *Ai* expugnans gæſo ſignum militibus in inſidiis dediſſe legitur. Ejusdem bellici inſtrumentum Virg. 8. Æn. ita meminit: *duo gæſa corruſca.* Ad quem locum Servius: *Gæſum eſt haſta virilis.* Vulgaris alias verſio eſt:

Non amat hic Jeſum, qui fecit ad prælia Gæſum.

Alii gæſum germanice reddunt eine Hellepарde / alii per hæc arma intelligunt ſecures cum faſcibus, quibus interdum ipſi Conſules Romani ſunt uſi.

SYMBOLA

SYMBOLA DEDITIONVM.

Jud. II. 5.

CUm Nebucadnezar vicinas gentes bello ſibi ſubdere ſatageret, per Holofernem juſſit, *ut hæ gentes terram & aquam ſibi præpararent*, B. Luherus appoſite reddidit: Du ſolſt alle Reiche mir unterthänig machen. Ubi notetur, in oriente morem fuiſſe, ut magni reges a gentibus in poteſtatem ſuam redactis, aquam & terram tanquam ſymbola deditionis exigerent, quibus & maris & terræ Dominum indicabatur, quod ex Herodoto Druſius oſtendit lib. 12. Obſ. 20. Et multis exemplis probat Seld. lib. 1. maris clauſi c. 12. Eſt & obvius loquendi modus ab aqua & igne deſumtus, quorum olim in ſanciendis fœderibus fuit uſus. Hinc aqua & igne interdicere, eſt omni aliquem conſortio excludere. De cætero in ſcripturis dicitur terra coram aliquo eſſe, cujus arbitrio eſt ſubjecta. Sic Abraham ad Loth, *Ecce omnis terra coram te eſt, recede ad dextram vel ad ſiniſtram, vel licet tibi cum omni tua familia commorari ubicunque terrarum volueris.* Gen. XIII. 9. De Eccleſia prædicitur, quod principes pulverem pedum ejus tingere, vel venerabundi coram illa procidere, ejus majeſtatem adorare debeant.

CHASIDÆI.

1. Maccab. II. 42.

IN libris Maccabæorum 3. fit mentio *Chaſidæorum*. Semel 1. Mac. II. 42. Ubi cum Mathathia ſe conjunxiſſe, deinde 1. Mac. VII. 13. Ubi omnium primo pacem petiiſſe dicuntur, & denique 2. Mac. XIV. 6. Ubi Chaſidæorum Dux dicitur Judas Maccabæus. Sed qui & quales hi fuerint, hac

de re non ita pridem graviter contenderunt, Druſius & Serrarius Jeſuitæ. Serrarius putabat, Chaſidæos fuiſſe diverſam ſectam a tribus Judæorum ſectis, Phariſæis, Sadducæis & Eſſæis diſtinctam. Sed Druſius ex Joſepho aliisque Judaicarum antiquitatum peritis demonſtravit, Chaſidæos non novam ſectam, ſed ſub tribus iſtis contineri. In latitudine Chaſidæi Ebraice חסידים græce ὅσιοι, latine *ſancti & benigni* dicuntur omnes & ſinguli pii, ſicut Apoſtoli in N. T. ſæpe omnes Chriſtianos vocant ſanctos, quo ſenſu putant non peculiarem ſectam, ſed commune hoc nomen Judæis omnibus fuiſſe. Hinc adhuc ingens liber apud Ebræos *Chaſidim* dicitur ideo, quia in eo piorum quorumvis Judæorum memorabiles ſententiæ habentur. Quin & proverbium Rabbinicum eſt: *Filii terræ* h. e. homines legis imperiti non poſſunt Chaſidæi eſſe. In ſpecie hoc nomine dicti ſunt Levitæ, qui ad cultum divinum peculiariter deſtinati. Hinc David: *Pſallite Deo omnes Chaſidim vel ſancti ejus* 132. 9. Poſt illam, cum Judæi a vicinis gentibus varia vexarentur & a vero cultu abducerentur, in duas factiones diviſi ſunt, quarum alteram boni & ſancti, qui veræ religionis tenaces, occidi malebant quam agnitam religionem deſerere, & hæc erat Chaſidæorum ſecta, partem alteram impii Judæi, apoſtatæ in Iſrael vel legis proditores conſtituebant, perinde ut in primitiva eccleſia Chriſtiani erant duum generum, alii *ſtantes* Judæorum *Chaſidæis* ſimiles, alii *lapſi*. Deinde vero obtinuit, ut quamvis Iſraelita, prius Chaſidæus vocaretur, quivis ſapientes in Iſrael, hoc nomen ſibi ſoli arrogarent, quos poſtera ætas Phariſæos dixit. Hodie Chaſidæus dicitur, qui non tantum facit quod Deus juſſit, ſed plura præſtat quam facere tenetur. Hinc Rabbinorum vox eſt *Chaſidæos audit* maledictum & cum retorquere poſſit, non retorquet, ſed tacet. Quod ad

ritus

ritus Chasidæorum attinet, hi varii recensentur. Nam 1. oculos ultra decem cubitos de terra non extollunt, 2. nunquam erecto capite incedunt, 3. quotidie hostiam immolant, quam vocant delictum Chasidæorum, 4. quotidie novem horas precibus impendunt, 5. ad latera non respiciunt, 6. non edunt ad convivia Magnarum, 7. si quem ad iram provocant, statim reconciliantur, 8. voci dulci assvescunt, cum qua populo legem prælegunt, 9. semper gestant fila, quæ zizith vocant & Phylacteria quæ *Tephilim* dicuntur. Nihil aliud autem hæc sunt quam lamina, sive membranulæ, quas fronti vel brachio alligant. De cætero Hebræi tradunt, quod veteres Chasidæi 10. aut 20. diebus ante mortem, morbo colico castigentur, ut ab omnibus maculis absersi, vitam futuri seculi consequantur. Olim urbes fugere, & rari degere solebant, quod Joseph. lib. 2. belli Jud. c. 17. de nobilissimis Pharisæorum affirmat, quotidiana illorum oratio erat: *O Deus remitte iis, qui me vexant.* Res ad Sabbathum necessarias, die prævio non per famulos aut ancillas, sed per seipsos præparabant, alius ligna findebat in usum Sabbathi, alius carnem coquebat, &c. Ad mensam de lege Dei loquebantur, & liberales Eleemosynas dabant, in neminem erant iniqui. Sed qui plura de Chasidæis scire voluerit, ipsum Drusii librum de sectis Judæorum evolvat.

VIRGINES CONCLVSÆ.

2. Maccab. 3. v. 19.

CUm Heliodorus in ærarium erumperet templi, in tumultu Hierosolymis hinc orto, inter alia virgines κατάκλεισαι vel *concluse* ad urbis portas concurrisse, aliæ in mœnia conscendisse, aliæ de fenestris prospectasse dicuntur.

Quæritur nunc, quænam virgines καλάκλεισαι vel *concluſæ* vocentur. Pontificii quidem putant, has virgines ex Voto, vel Religionis ergò incluſas, ſimiles hodiernis monialibus fuiſſe. Sed Antiquitatum Orientis periti, norunt, virgines in domibus, vel ædium receſſibus concluſas fuiſſe. Quos ædium receſſus Græci παρθενῶναι vel cellas virginum vocarunt, & rarum contingens fuiſſe, ut quædam Virgo in publicum prodiret. Hinc Euripides in Oreſte. *Foras ut abeant puellæ parum decet.* Et Phocilides in Nuthetico, *jubet virginem clauſo thalamo cuſtodire, nec permittere, ut ante nuptias extra domum conſpiciatur.* Hinc Græcis virgo θαλαμεύόμενα dicitur, quod Thalamo quaſi concluſa educaretur. Et Sanctus Chryſoſtomus in Homil. de Hanna, Virgines maturas viro, præſertim juniores, quæ Thalamo concluduntur, diligenter cuſtodire jubet. Ob eandem cauſam Venus fuit dicta ἄνασσα θαλάμιος *Regina cubiculorum*, quibus virgines continentur. Apud Ebræos virgo dicitur עַלְמָה vel abſcondita, ob duas cauſas (1.) Quod ſecretior ejus educatio eſſet. (2.) Quod non niſi velamine tecta vel abſcondita, ad Sacra in publicum prodiret. Nonnio dicitur Virgo ſignata, vel incorrupta, perinde ut Varro Lege Mænia dixit, *Sacra ſignata vel incorrupta.* Sed Prudentius in Apotheoſi ſua ipſam Domini matrem Virginem ſignatam dixit. *Innuba virgo*, inquit, *nubit ſpiritui, nec ſentit crimen amoris, pubertas ſignata manet.* Hinc & priſcis Doctoribus B. Virgo quod ſit ἀεὶ παρθένος *Sanctis patribus clauſa porta dicitur, per quam non niſi Dominus Iſraëlis tranſiit.* Clauſa Beata Virgo dicitur, quod non multum in publico moraretur, nec in plateis vagaretur, ſed in ſuis penetralibus ſola ſederet. Sed cur ſolam dico? quam tot virtutes ſtiparunt? Denique non virgines tantum ſed & matronæ, apud Veteres magnam habebant laudem, ſi rarò

pedem

pedem domo efferrent. Hinc ad Tit. 2. 5. Οἰκουρούς latinæ *Cæsariæ* Haußfrauu. Talis matronæ Symbolum priscis erat Venus, insidens testudini, nam hæc est domi porta. Communiter tamen, si quæ virgo nupsisset, hæc non amplius clausa vocabatur, sed manifestata viro Lev. XIX. 20. Si quæ puella lascíva esset, nec domo se contineret, vocabatur *foras prodiens*, qualis erat Dina, neptis Jacobi. Latinis dicitur Fœmina catillans. Catillare enim est per alienas domus assiduè gyrare, Metaphora à Catellis dicta, qui per omnes domus circumcursant.

LIBER II.

Variarum Antiquitatum

Præsertim Ecclesiasticarum, quæ in Novo Testamento occurrunt.

SECTIO I.

Ex

QUATUOR EVANGELISTIS.

PHARISÆI.

IN toto N. T. non est alia Secta, cujus crebrior fiat mentio quam Pharisæorum, cum his enim Salvatóri nostro negotii plurimum intercessit. Pharisæi juxta alios dicuntur à Rad. פָּרַשׁ (explicavit) ideo, quod ipsorum vita omnium oculis conspicua, & quasi explicata esset; vel ideo quod ipsorum munus esset legis divinæ explicatio. Verum juxta

alios

alios, Pharisæi à *Phares* vel divisione dicuntur, quod hæc *Secta à populo varie esset divisa.* Hinc in Lexico Talmudico *Pharisæus*, dicitur, qui à populo terræ se separat. Divisi à populo erant I. accuratiori vita, & rigida legis observantia. Hinc Apostolus, *accuratissimam hanc sectam vocat.* II. Dignitate quod supra vulgus eminerent. III. Vestitu, habebant enim suas sibi proprias vestes, quibus à vulgo distingui poterant, ut hodie Monachi in papatu, imo Vulgo vestes Pharisæi abominabantur. Hinc apud Judæos Proverbium: *Vestes populi Pharisæus conculcat.* Quod ad originem Pharisæorum attinet, existimat Paulus Burgensis Comment. in cap. 5. Zach. Pharisæos post Maccabæorum tempora cœpisse. Dogmata Pharisæorum erant 1. Actiones hominum, imo hæc inferiora pleraque â fato & astris dependere, teste Joseph. lib. 2. Captiv. Judaicæ c. 12. Fatum vocabant ideo, Masal. i. e. Planetam, â radice מָזַל (fluxit) quia â siderum influxu hæc inferiora derivabant, imo nullam herbam statuebant, quin suum Masal, stellam in Cœlo haberet. Hinc non immerito Josephus Pharisæos Stoicis propinquos dixit. Nihilominus hoc influxu nolebant homini liberum arbitrium ademptum, hinc dicere solebant. *Planeta juvat, sed arbitrium est in manu hominis.* (2.) Hominem coram Deo per externam legis Mosaicæ observantiam justificari, licet animo peccator esset. (3.) Contra Sadducæos Resurrectionem mortuorum crediderunt, sed sub triplici differentia. Alii enim omnes indifferenter alii bonos tantum, alii bonos & malorum partem resurrecturos statuebant. (4.) τοῖς παραδόσεσι i. e. legi non scriptæ, eundem cum lege, honorem & reverentiam referebant, quod existimarent legem non scriptam æque ac scriptam Mosi à Deo in monte Sinai traditam. (5.) Frequenter jejunabant, præsertim bis in hebdomade Matth. IX. v. 15. Semel die lu-

næ,

næ, iterumque die Jovis. (6.) Creberrimos baptiſmos ſive lotiones adhibebant. Hinc cibum nequidem ſumere ſolebant niſi manibus lotis. A foro reverſi, totum corpus lavabant, quod in foro homines profani tetigiſſent. Marc. VII. v. 4. Hinc Juſtinus in Dialogo cum Tryphone Judæo, Phariſæos *Baptiſtas*, & Epiphan. in Anchorato eosdem *hemerobaptiſtas* dixit, quod quotidie ſe lavarent, nec ſeipſos tantum, ſed & pocula ſua & calices & urceos & lectos Marc. VII. v. 4. Ubi per lectos non intelligo cubiculares in quibus dormierunt, ſed Triclinares in quibus ad menſam accubuerunt. (7.) Cum publicanis aliisque magnis peccatoribus, imo cum nemine fere ex vulgo, cibum capiebant. Hinc Salvatori exprobrant, *quod cum peccatoribus comederet.* (8.) Continenter orabant, præſertim *in angiportis platearum, ut ab hominibus viderentur.* Matth. VI. v. 5. Imo diem quemvis in tres partes diviſerant, *primam* precibus, ſecundam ſtudio Legis, *tertiam* laboribus impenderunt. Sed ſanctiores in hac Secta *Chaſidæi* quotidie novem horas precibus dabant. Orabant autem voce ſubmiſſa, quod dicerent: *qui in precibus audiri facit vocem ſuam, ille eſt homo parvæ fidei; putat enim Deum alias non audire.* (9) Norant de rebus ſuis omnibus, minimis, maximis, qnamvis lex non juberet, decimas dare. Hinc Chriſtus refert, *decimaſſe illos cuminum rutam* Luc. XVIII. v. 12. Hinc proverb. inter ipſos: *Da decimas & eris dives.* (10) Decalogum in membranulis ſcribebant, & complicitum ad frontem ligabant, ut legem ſemper ob oculos haberent; quod adhuc Judæi in India & Babylonia faciunt. Atque hæc *Pitaciola* vocabant *Philacteria* Matth. XXIII. v. 5. Ubi Salvator & hoc reprehendit, *quod fimbrias ſuas, vel extremas oras veſtium ſuarum, amplificarint.* Denique Phariſæi varias jurandi formulas habuiſſe dicuntur Matth. V, v. 34. Jurabant enim per *Cœlum*, quod

ſcriptum ſit à Moſe, *jurat Deus per excellentiam Jacob.* Ubi per excellentiam Jacob alii Cœlum alii Urbem Sanctam intelligunt. Sed rectius per Excellentiam Jacob Deus ipſe intelligitur. Alii jurabant *per Legem*, quemadmodum adhuc hodie Judæi juraturi, manum dextram libro Legis, præſertim ſecundo præcepto: *Non aſſumes*, &c. imponere ſolent Alii jurabant per *Templum*, alii per *caput ſuum*, alii per *ſalem*, per *aquam*, per *ventum*, per *altare*, teſte Epiph. in Panario lib. 1. c. 6. Quod Phariſæorum virtutes attinet, imprimis à clementia laudari ſolent; Hinc dicti ſunt *Filii miſericordiæ.* Quin & Rex Alexander Conjugi ſuæ ſub extrema ſvaſit, ut Phariſæorum benevolentiam captaret, quoniam hi miſericordes eſſent, nec inimicitias ſervarent teſte Joſepho lib. 3. Antiquit. Vitia Phariſæorum in hiſtoria Evangelica præſertim tria notantur. 1. *Avaritia*, quâ domus viduarum devorabant Matth. XIII. 4. 2. Semper τὴν πρωτοκλίαν affectarunt, unde *ambitio* 3. *Hypocriſis.* Omnia enim faciebant in ſpem pietatis, ut ab hominibus viderentur. Inter ſtudium ipſorum primarium, erat Aſtronomia, quo & Salvator docet, Matth. IV. *O! vos hypocritæ, faciem Cœli diſcernere noſtis, ſed hæc tempora non diſcernitis.* Ad quem locum Lyranus ſcribit: *Multi Phariſæi, poſthabito ſtudio legis & Prophetarum, Mathematicis ſtudiis operabantur.* De cætero in hodierno Thalmude varia genera Phariſæorum recenſentur. Alii pietatem, ulnâ honoris & commodi menſurabant, vel ideo probi erant, ut in hâc vitâ ad honores vel opes emergerent. Alii erant *Phariſæi timoris, vel pii metu pœnarum*, quæ impietatem conſecutæ ſunt. Alii erant *Phariſæi Amoris*, ideo probi, quod Deum propter ſe amabant. Hinc Rabbinorum ſententia: *Phariſæus amoris erat Abraham, ſed timoris erat Hiob.* Alii inter Phariſæos adeo perfecti ſibi videbantur, ut putarent, nihil ſibi implendum

plendum reſtare; hinc dicebant: *Quid debeo facere, quod non feci?* Alii adeo religioſi erant, ut ſemper oculos clauderent, ne quam fœminam adſpicerent. Alii capita ſua ad parietes allidere ſolebant, donec ſangvis exiret. Alii religionis ergo curvi incedere ſolebant. Aliis religio erat, pedes de terra ſuſtollere &c. Neque omnes Phariſæorum ſuperſtitiones, ob quas Salvatori noſtro maxime fuerit inviſi, referre nunc placet. Videatur Joſeph. lib. 18. Antiquit. Judaic. 2. & libro 2. de Bello Jud. juxta ac Epiph. in Panario l. 1. c. 16.

SADDVCÆI.

Sadducæos *a loco* denominatos, exiſtimat Suidas. Sed ubi hic locus? Alii Sadducæos quaſi צַדִּיקִים (juſtos) cenſent dictos, quod in judiciis ſtrictum jus ſequerentur, teſte Nicolao Lyrano in c. 5. Act. Alii quos inter Paulus Burgenſis, Sadducæos id nominis habere putat; a primo ſuo autore *Zadok*, diſcipulo Antigoni *Sochai*. Cœperunt hac occaſione: Dixerat in ſchola ſua Antigonus ad diſcipulos: *Nolite ut ſervi eſſe, qui ob mercedem Principi miniſtrant*; quo audito, quæſivit Zadok, quid ſibi hoc dicto vellet, reſpondit Antigonus: *Nolo ut mercedem hujus, ſed venturi ſeculi expectetis.* Tum vero dixit Zadok, *de venturo ſeculo nobis nihil conſtat*, quo dicto a Præceptore Antig. diſceſſit & docuit in venturo ſeculo mercedem nullam eſſe, atq; hinc oriundi ſunt Sadducæi. Videatur Lex Thalmud. dici ſolent alias *Caræi* a radice קָרָא ſcripſit, q. d. ſcripturarii. Ratio nominis eſt, quod Sadducæi omnes traditiones Patrum vel legem non ſcriptam rejicerent, & ſoli ſacræ ſcripturæ inhærerent. Erant autem duorum generum: Alii *inter Judæos*, qui totum Vet. Teſt., alii *inter Samaritanos*,

qui ſolum Pentateuchum recipiebant, qua de re vid. Druſius l. 2. de tribus Judæorum ſectis. Dogmata Sadducæorum hæc erant: (1) Negabant Dei providentiam. (2) Negabant Fatum vel *Maſſal* Phariſæorum, & quemlibet fortunæ ſuæ fabrum ſtatuebant. (3) Negabant omnem ſpiritum Act. XXIII. 8. adeo ut ipſum quoque Deum corporeum fingerent, quod dogma in Eccleſia *Anthropomorphitæ* reſuſcitarunt. (4) Docebant nullum eſſe venturum mercedis ſeculum. (5) Denique animam cum corpore mori putabant, imo non ſolius carnis, ſed & animæ reviviſcentiam negabant. Hinc Tertullianus in libro de carne Chriſti: *Hæreticos, qui reſurrectionem carnis negarunt, eleganter Partharias Sadducæorum ſectæ ideo dixit, quod cum Sadducæi omnem & carnis & animæ reviviſcentiam, hæretici ſalus carnis reſurrectionem negarint.* Atque hinc eſt, quod Salvator in nobili diſputione contra Sadducæos, *ſolius animæ immortalitatem inferat.* Norat enim Salvator evicta immortalitate animæ, Sadducæos in concedenda reſurrectione teſtes fore Matth. XIX. 23. De cætero Sadducæi erant homines duri & agreſtes, in judiciis rigidi, teſte Euſeb. l. 2. Hiſt. Eccl. c. 23. Magnatibus quidem accepti, ſed populo valde inviſi, teſte Joſepho lib. 18. Antiquit. Judaic. c. 2.

CARÆI.

CUm multi ſint in ea ſententia, *Caræos* cum *Sadducæii* per omnia eosdem eſſe, ſciendum eſſe, *Caræos* vel *Scripturarios*, qui ſolam ſacram S. admittunt, inter Judæos, duorum eſſe generum: *Veteres* & *Recentes*. Etſi vero *Veteres* cum Sadducæis paria docuiſſe non negaverim, nego tamen de hodiernis *Caræis*, qui in Oriente, præſertim Palæſtina

jæstina superfunt. Hi enim & immortalitatem animæ, & resurrectionem mortuorum & mercedem futuri seculi omnino credunt, quorum nihil *veteres Caræi* vel *Sadducæi* crediderunt. Sed in hoc uno cum priscis illis conveniunt, quod nulla παραδόσεα, sed tantum sacram scripturam admittant. His hodie oppositi sunt *Thalmudistæ* vel *Rabbini*, qui in Thalmudem Commentarios scribunt, & majorum suorum placita somnia & deliria, eodem fere loco habent cum sacra scriptura. Verum his Thalmudistis hodierni Caræi ita sunt exosi, ut dicant Judæi: *Si Christianus & Caræus in quem incidant, & alter sit mergendus, alter salvari possit, tum se de corpore Caræi pontem facere, ut Christianus transeat salvus, & Careus in aquam demergatur.* Unde patet, quod Caræos magis odio habeant, quam ipsos Christianos. Scalig. lib. 2. de Emend. Temporum de hac Judæorum secta sic scribit: *Caræi hodie in ordine ad Rabbinos sunt valde pauci, & quamvis etiam Judæi sint, vivunt tamen cum cæteris inexpiabili odio.* Wilhel. Postellus in Alphabeto 12. lingvarum refert, *Caræos ditissimos esse, sed adeo invisos, ut pleræque virgines apud eos innuptæ maneant, quod cæteri nolint cum ipsis contrahere matrimonia.*

ESSÆI.

ESsæi vel quos Epiph. *Ossæos* vocat, in Veterum scriptis imprimis ab insigni continentia commendantur. Erant tamen alii horum uxorati, alii cælibes, *priores* solius prolis amore, uxores duxerunt, quas triennio probabant, an fœcunde essent, steriles absoluto triennio repudiabant; cum prægnantibus rem non habuerunt, ideo ut ostenderent uxores sibi non ex libidine ductas. Cœlibes autem

in hac ſecta a re uxoria prorſus alieni erant, quod crederent, nullam reperiri fœminam, quæ per omnia fidem marito ſervaret. Hi iterum duorum erant generum, alii μεναλόνδες qui in agris & ſylvis ſolitarii erant, alii κοινόβιοι, qui in communi vel in Collegio una vivebant, cibosq; & veſtes aliaque convivia habebant. Primarium horum ſtudium erat in Philoſophia naturali, hinc inter ipſos inſignes reperti ſunt Medici & Botanici, victum parabant ex agricultura, quanquam ſervos non haberent, ſed ſibi invicem miniſtrabant. Dignoſci a cæteris Judæis poterant veſtitu, ſemper enim veſte candida erant induti, quod ſcriptum ſit: *Omni tempore veſtes tuæ ſunt candidæ* Eccl. IX. 8. Antequam ſol oriretur, nefas erat, quicquam loqui, niſi in ſecula de Deo benedicto. Soli orienti gratulabantur. Hinc nonnullis *Heliolatræ* ſunt dicti; ſimul orabant, ut ſol propitio numine oriretur Poſt has preces ad operas ſuas, præſertim in agros ſe conferebant, usque ad horam XI. qua audita, conveniebant, ut linteo cincti, corpus frigida aqua abluerent, ut deſiderium coitus cohiberent. Loti in refectorium commeabant, ubi piſtor ſingulis panem, & coquus in ſcutella ſingulis edulium ſuum deferebat. Finito prandio ad operas ſuas redibant usq; ad veſperam. Veſperi ad cænam hoſpites, ſi qui forte adeſſent, adducebant, ſed venerabile ipſis erat ſilentium, hinc nunquam inter ipſos auditus, quod ſemper ſobrii eſſent Juramentum æq; ac perjurium vitabant, quod dicerent: *Hunc mendacii jam convictum cum ſine Deo non crederet.* Novitios ſtatim recipere, ſed biennio probare ſolebant, iisque decimo anno ſecurim ad ligna findenda, aliaque ſervitia præſtanda, juxta ac candidam veſtem dabant. Expleto anno, docebant Novitios baptizare, h. e. ſecundum legem Moſis ſe abluere, ut ſanctitati aſſveſcerent. Expleto biennio recipiant in ordinem ſuum, cum ſanctè

hæc

hæc tria promiserant. (1.) Quod Deum super omnia vellent colere. (2) Malos odisse. (3.) Justè vivere. Jus dicturi, centum viros congregabant, qui improbos cætu suo pellerent. Si quis Ordinem violasset, hunc noxiiis herbis cibabant, donec famè periret: moribundos in gratiam aliquando recipiebant. Senibus multum reverentiæ deferebant, nec his præsentibus, nisi cum illorum venia loquebantur. Sabbatho ad secessum non ibant, quin & reliquis diebus, cum natura illos urgeret, fossam unius pedis fodiebant, eamque vestem tegebant, & licet sit naturalis egestio, post eam tamen abluere solebant. Habitabant ruri per pagos & vicos, quanquam in ipsâ Urbe Hierosolyma fuerit Porta Essæorum. Providentiam divinam contra Sadducæos credebant, sed & cum Pharisæis *Massal* vel fatum agnoscebant, donaria quidem ad templum mittebant, sed ipsi non deferebant, ideo quod dicerent Ceremonias suas sanctiores. Hæc Joseph. lib. 18. Origin. judaic. Epiph. in Panario lib. 1. Hæres. 19. & inprimis Drusius in Libello de tribus Judæorum Sectis.

SCRIBÆ CIVILES.

IN Sacris literis, præsertim in N. T. apud Evangelistas Scribarum fit crebra mentio: ubi notandum, in Dei populo *Scribas* duum generum fuisse, *Sacros & Civiles*. Et quod ad *Civiles* attinet, Scribæ in Sacris dicuntur. I. *Quivis literati*, hinc Apostolus 1. Cor. 10. 20. *Ubi sapiens? ubi Scriba?* II. *Scribæ* dicuntur *Cancellarii*, ita Regis Jojakim Cancellarius Elisama Jer. XXXVI. v. 12. Dicitur γραμματεὺς, qui tamen cæteris Consiliariis ibi præponitur. III. Scribæ dicuntur *Regum Secretarii*, ita regius Secretarius Seraja vocatur Scriba Davidis 2. Sam. IIX. 12. IV. Scribæ in sacris dicuntur *Notarii*,

tarii, qui privatorum contractus & instrumenta describere solebant, quales memorantur posteri Jethronis 1. Paral. II. 55. It. Jer. XXXII. 11. V. *Tesserarii*, qui a Duce exercitus vel tribuno plebis tesseram militarem accipere, & per militum contubernia nunciare consveverant. Talis scriba memoratur Jer. LII.25. Quin & *scriba Turrium* dicitur Es. XXXIII 18. qui *curandis machinis Tormemtis & bellicis machinationibus præest.* VI. Scribæ in sacris dicuntur *mercatores*, hinc Jud. V. 14. dicitur: Von Sebulon seynd Regierer kommen durch die Schreibfeder. Ubi Zabulonitæ scribæ dicuntur ideo, quia cum vicinis Tyriis & Sidoniis, in commerciis & rationibus componendis, multum operæ ponebant. VII. Scribæ dicuntur *Quæstores & præfecti* it. *Thesaurarii*, qui regios reditus in rationes publicas scribere solebant, talium fit mentio Esth. IX.3. B. Luth. reddidit Amt-Leute.

SCRIBÆ SACRI.

EO nomine in sacris veniunt omnes, qui operam suam divino cultui præstant, quamvis id non semper fiat scribendo; hinc iterum Scribæ *Ecclesiastici* dicuntur, 1. qui res sacras scribendo, vel bona fide annotando, Ecclesiæ serviunt. Ita Baruch Jer. XXXVI. 25. dicitur *Amanuensis* vel scriba Jeremiæ. 2. Scribæ Sacri dicuntur *Lectores*, quorum munus erat, leges & Prophetas descriptos fideliter custodire, eosque in Synagogis publice prelegere 3. Scribæ dicuntur *Doctores legis*, quorum geminum erat munus (a) Explicare legem, ex lege dare responsa, & hi in Nov. Test. Pharisæis communiter conjunguntur. Dicuntur iidem νομοδιδάσκαλοι, quod populum legem docerent. Atque hi præ cæteris docti erant, similes hodiernis Rabbinis, & in

arena

arena disputatoria imprimis exercitati. Hebræi illos olim vocarunt חכמי h. e. sapientes in Israel vel Magistri legis. Atque hi gloriabantur, sibi datam esse *clavem scientiæ*, cujus ipse Christus meminit Luc. XI. 52. Ubi notandum apud Judæos, olim insigne Doctoratus fuisse, *clavem cum pugillaribus*. Hinc de quodam Rabbi Samuel scribitur, quod clavem ipsius & pugillares, cum ipso sepeliverint, cum filium non haberet cui tradere vitâ posset. Videatur eruditus libellus Altingi de Academiis Ebræorum. Cum in N. T. Pharisæi & γραμματεῖς, Νομικοὶ & Νομοδιδάσκαλοι sæpe conjungantur, sciendum, hos quidem invicem unum ferè corpus constituisse, sed invicem planè distinctos. Nam Pharisæi olim erant religiosi, quorum vita severior erat. Alii νομοδιδάσκαλοι erant Interpretes Legum vel Doctores Judæorum. Νομικοὶ autem jus judaicum & controversias sacras & civiles tractabant. Atque ex his constabat Synedrium magnum, in quo erant LXX. Judices cum uno Præside, penes hos erat summa jurisdictio, nec ab iis appellari poterat, imo quicquid per totam Palæstinam Judices inferiores decidere non poterant, id omne ad augustum hoc collegium, quod Num. XI. v. 16. divinitus per Mosen constitutum, sub Judicibus, sub Regibus, sub Pontificibus ad urbis usque excidium permansit, referri solebat. Locus hujus magni Synedrii Hierosolymis erat *Sanctuarium templi*, in quo Conclave hujus Consistorii vocarunt *Cellam quadrilapidis*, ideo quod totum Conclave ex quadro vel ex conciso & affabre dolate lapide esset constructum. Neque verò omnes γραμματεῖς vocabantur Νομικοὶ, sed solum Doctores, præsertim Assessores hujus magni Concilii, ad quod dubii casus referebantur, etsi omnes νομικοὶ vel legis periti vocarentur Scribæ. Salvator ipse inter scribas & Legis peritos eleganter distinguit Luc. XI. v. 44. & 46. primo observato

in Sacris omnes Ecclesiæ Doctores Scribas dictos Matth. XIII. v. 52. Denique per Metaphoram ipse Spiritus S. Scriba vocatur. Hinc David, vel quisquis Autor Psalm. XLV. v. 2. *Linguam suam esse stylum velocis Scribæ.* Ratio gemina est, (1.) Quod Spiritus S. sit primarius Autor totius Scripturæ. (2.) Quod Prophetis & Apostolis tanquam calamo Scriptoris, sit usus. Notari autem meretur, quòd Scriba velox vocetur, h. e. promtus & expeditus, ducta Metaphora â Veterum Notariis, qui per *certas notulas à quibus Notarii dicuntur, vel abbreviaturas, aliaque Scripturæ Compendia, sæpe celerius dicta scribere solebant, quam alter pronunciaret.* Unde iidem dicti ταχύγραφοι â celeritate scribendi, & σημειόγραφοι, quod non integras voces, sed signa vocum scriberent. Erat enim apud priscos duplex scribendi ratio, *Scripturæ* & *Notariæ.* Priorem καλλιγραφίαν, posteriorem ταχυγραφίαν vocabant. Memorabile est carmen Ausonii ad suum Notarium, Epigrammate 137.

Quam præpetis dextræ fuga
Tu me loquentem prævenis,
Quis quæso, quis me prodidit,
Quis ista jam dixit tibi?
Quæ cogitabam dicere.

Notum quoque est Epigramma 208. Martialis:

Verba licet curant, manus est velocior illis,
Nondum lingua suum dextra peregit opus.

PVBLICANI.

GRæce dicuntur τελῶναι quod sint vectigalium emptores, â græc. τέλος Vectigal & ὠνέομαι Emo, quin & Germani, Græcos imitati Töllner. Zöllner. Latine dicuntur *Portatores*, & Vectigalia *portatoria* vocant. Ubi notandum Reditus Roma-

Romauorum fuiſſe duorum generum, alios φορα' h. e, tributa vel ſtipendia, ex annuis terræ proventibus, alios τέλη Vectigalia vel portatoria, ideo ſic dicta, quod ex rebus importatis, a viatoribus præſtarentur, ad hos bipartitos reditus, ipſe Apoſtolus reſpicit ad Rom. XIII. v. 17. *Ubi ſuum cuique debitum tributum, cui tributum, Vectigal, cui vectigal debetur præſtare jubet.* Neque vero rigidior fuit exactor Tributorum, quam Veſpaſianus, de quo ſcribit Dio, *quod à mendicis Tributum exegerit, & vectigalia collapſa pleraque renovaverit.* Tales Vectigalarii vel Telonarii fuerunt, qui ad Johannem Baptiſtam in Eremum abierunt. Luc. III Dicuntur alias Publicani, ideo quod publico fruerentur, hinc ſcribit Ulpianus; *eos omnes qui â fiſco aliquid conducunt publicanos vocari poſſe.* Hi vectigalium emptores, apud Judæos & Græcos valdè inviſi erant, quod Salvator ipſe docet Marth. XVIII. v. 17. ubi oſtendit, quibus gradibus ad excommunicationem majorem deveniatur, dicens: *ſi nec Eccleſiam audierit, ſit inſtar publicani* & Rabbini proverbio dicunt: *Noli uxorem ducere ex familia in qua ſit publicanus, quia omnes ſunt Publicani*, h. e. *exquiſiti nebulones*, & *impoſtores.* Apud Græcos non minus inviſos fuiſſe docet græcus Poëta Xenoph. hoc verſu.

πάντες τελῶναι, πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.

Sed apud Romanos honeſtus fuit publicanis locus. Hinc Cicero florem Equitum Romanorum in publicanorum ordine ſitum eſſe affirmat. Notandus hic eſt error Tertulliani, quem multi in Eccleſia ſunt ſecuti, quaſi ex Judæis nemo Publicanus fuerit, ſed omnes hujus ordinis quorum Sacra S. meminit, Ethnici fuerint. Induxit ad hunc errorem Tertullianum Græca verſio LXX. Deut. XXXIII. v. 11. ubi poſt hæc verba: *Ne ſit ſcortator de filiis Iſraël*, in græco additur; *Nec vectigal pendens de filiis Iſraël.* Verum

 hæc

hæc additio in Textu hebraico non invenitur, nec in aliis paraphraſibus bibliorum, nec in ipſa vulgata verſione. Ipſa certa nomina Publicanorum Matthæus Zachæus, quorum in N. T. fit mentio, pura Ebraica ſunt, nec Ethnicis unquam uſitata.

MEL & LOCVSTÆ.

Matth. III. 4.

INter alia Matthæus auſterum victum Johannis Baptiſtæ commendans refert, quod *Mel agreſte* & *ἀκρίδας comederit*, ubi quæri ſolet, quis & qualis fuerit hic victus? Mel duplex aliud *ὠραῖον* dicitur vel Tempeſtivum, quod apes in alveolis ſuis conficiunt, aliud *ἐρεικιον* quod apes ſpargunt in erice, ſed de neutro victum Johannis intelligo. Erat enim in Syria, præſertim in Palæſtina circa Libanum, peculiaris quædam ſpecies mellis, quem vocarunt *ἰρυσόμελι* h. e. *rorem mellis*, ideo, quod mel iſtud veluti ros in arbores defflueret, ibique coagulatum in grûmos dureſceret. Hoc mel ſolebat pellibus excipi, eratque ſapidum, inſtar ſachari. Atque hic ros melleus adhuc hodie ex Syria, Venetias & ad alias Europæ terras devehi ſolet. In Pharmacopoliis Manne vocatur. Quod ad *ακρίδας* attinet, de his variæ ſententiæ. Epiphan. contra Ebionitas diſputans: Olim nonnullos non *ἀκρίδας* ſed *ἔγκριδες* legiſſe, quæ vox ſignificat bellaria ex melle. Sed huic ſententiæ editiones omnes Bibliorum repugnant. Alii per *ἀκρίδας* ſummitates arborum intelligunt. Sed hæc ſummitates non *ἀκρίδες*, ſed *ἄκρεις* vel *ἀκρόδρια* dicuntur. Deinde non conſtat, quomodo ſummitates arborum comedi poſſint. Vulgata verſio quam Doctiſſimi quique hoc loco tuentur, reddidit locuſtas, quia locuſtæ a variis gentibus olim ſunt comeſtæ & adhuc co-

medun-

meduntur, quod ex Moſe, Strabone, Plinio aliisque ſatis conſtat. Sed hic iterum eſt quæſtio, quales locuſtas Johannes comederit. Sunt duum generum, *locuſtæ alatæ & non alatæ. De alatis* victum Johannes accipit, Johannes Leo in deſcriptionibus Africæ, lib. 9. Arabiæ, quin & Plin. lib. 7. c. 30. refert, Æthiopes nonnullos locuſtis alatis, ſed fumo induratis ſolitos veſci. Sed exiſtimo Johannem non alatas comediſſe. Nam tales in Eremo facile haberi poterant, quod velut cancri oblongi in terra obreperent. Ejusdem ſententiæ eſt Scaliger, qui contra Cardanum docet, apud Syros locuſtas non alatas uſitatum cibum fuiſſe. Verum una ſupereſt difficultas, nam ſi hujusmodi cibos, qui vulgo fuerunt in uſu, Johannes comederit, non poteſt argumentum indeſumi, alicujus rigidi victus, quem tamen dicto loco Evangeliſta intendit. Sed reſponſio auſteritas victus Johannitici non præciſe in eo conſiſtit, quod mel & locuſtas comederit, hunc enim cibum cum aliis communem habuit, ſed in eo, quod hæc ſola comederit, unde etiam Matth. II. 18. *Chriſtus negat Johannem ediſſe, & bibiſſe*, ideo, quia nec panem edit, nec vinum bibit, ut exponitur Luc. VII. 33.

SICERA.

Luc. I. 15.

QUod ad potum Johannis attinet, ſcribit Lucas: *Vinum & Siceram non bibet. Sicera* dicitur omnis potus, qui inebriat, teſte Rabbi David Kimchi Lev. X. 9. Ubi *Sacerdotibus vinum & ſicera prohibentur*. Cum enim vinum vetus magis inebriet, quam novum, Onkelos vel Chaldæus Paraphraſtes Siceram de vino veteri, ſed vinum, abſolute de novo intelligit. Mentio eſt Siceræ Eſ. V. 11. Ubi Prophera

minatur, *Væ illis qui mane surgunt ad prosequendum Secchar.* B. Lutherus reddidit, die des morgens auff seynd des Sauffens sich zu befleissigen. Alias autem reddit *Siceram*: starck Getränckte. Quam varia sint genera Siceræ docet, Hieron. Ep. ad Nepotianum. Potest Sicera in *simplicem* & *compositam* dividi. *Simplex Sicera*, est quæ ex uvis exprimitur, unde vinum proprie dictum, vel ex fructibus arborum v.g. piris, pomis, palmis, germ. Aepffel-Wein/Birn-Wein/ &c. vocant. *Sicera Composita* interdum fit ex melle & aqua diciturque ὑδρόμελι, interdum ex melle & vino, diciturque οἰνόμελι. Communiter ex aqua & frugibus terræ, v.g. tritico, hordeo, qualis est cerevisia nostra, cum nihil horum Baptista Johannes biberit, videtur non nisi aquam bibisse.

VESTES EX PILIS CAMELORVM

Matth. III. 4.

HAbuisse fertur Johannes Baptista dicto loco *indumentum ex Camelorum pilis* De hoc vestitu Schindlerus in lexico suo ἐπαγλότω. Ex pilis Camelorum pannus texitur, quem Hispani *Camelotæ*, germanice Cammle-Loth/ Latini *vestem undulatam*, ideo quod ad similitudinem undæ sit picta. Hoc panno in Oriente pauperes vestiri solebant, quos Johannes est imitatus. Sed Casaubono alia mens est. Is in exercitationibus ad Annales Baronii. *Ego*, inquit, *assentiri non possum illis, qui omnia, quæ de Johanne referuntur, ad communem vitæ rationem exigunt, adeout vestem ejus Camelinam, ad communem quamque vestiendi rationem referant.* Verum ex nullo veteri Scriptore potest ostendi, quod

quod apud ullam gentem hæc veſtis fuerit uſitata. Dicitur quidem 2. Reg. l. 18. quod *Elias fuerit uſus Zona ex corio confecto*, ſed veſtem illi ex pilis Cemelorum fuiſſe, inde nunquam poteſt elici. Scio alios eſſe, qui putant, Ebraicum פֹּ cujus toties ſcriptura in luctu meminit, veſtem fuiſſe ex pilis hircorum & caprarum. Sed nec hoc ex ullo ſcriptore vel argumento ſatis firmo conſtat. De Chriſtianis quidem patet, quod ſaccos vel cilicia, e pilis Camelorum, ad exercitia pœnitentium adhibuerint, ſed de Judæis nunquam tale quid lego. Hæc Caſaubonus. Nobis (quod utriusque pace dictum eſto) neuter rem acu tetigiſſe, videtur. Refert quidem Matthæus dicto loco quod Johannes habuerit ἔνδυμα è pilis Camelorum, *non quod veſtis ejus fuerit, pannus ex hujusmodi pilis, ſed quod induerit pilos Cameli vel pallium piloſum, uti Marcus exponit.* Erat enim ordinarius Prophetarum veſtitus in Vet. Teſt. pallium piloſum, ut patet Zach. XIII. 4. Ubi Deus minatur, *ſe velle piloſa illa pallia Prophetis tollere*, quin & hirſuto tali pallio uſus eſt Elias 2. Reg. I. 8. Simile pallium Propheticum Johannes Baptiſta geſtavit, aſperum illud, & pauperibus conſvetum. Neque enim fit veriſimile eum cujus victus erat viliſſimus ſplendide fuiſſe veſtitum. Vidit hoc Clemens Alexandrinus, hinc ſcribit: Johannem *pilos ovium deſpexiſſe quod bi mollitiem redderent & pilos Camelorum elegiſſe, ut ipſo veſtitu auſteritatem vitæ commendaret.* Quod ad locum attinet in quo Johannes vixit & docuit, fuit ille deſertum Luc. III. Unde Pontificii vocant Johannem *primum Eremitam*, ſed male. Nam vox græca non denotat ſolitudinem, vel locum inhabitatum, ſed regionem montanam, in qua greges paverunt; hominesque in oppidis & pagis, perinde ut fit in ſylva Hercinia, cohabitarunt.

CIRCVM-

CIRCVMCISIO JOHANNIS, CHRISTI & ALIORVM.

CUm Lex Judaica poſtuler, ut pueruli die 8. circumci, dantur; ſimilem in modum Johannes Baptiſta imo ipſe Chriſtus, circumciſi fuerunt. Hunc circumcidendi ritum Deus Abrahamo mandavit. Abraham eundem ad poſteros ſuos fideliter transmiſit. Hinc non Judæi tantum, ſed & Ægyptii, qui ſedibus ſuis Judæos exceperunt, diu ſunt circumciſi, & etiam in hanc usque diem Abyſſini, licet ſint Chriſtiani, circumciduntur; & quod mireris, *apud Abiſſynos fœminæ non minus, quam mares circumcidi ſolent*, teſte Franciſco Alphares, in itinerario Æthiopiæ. Exiſtimat quidem Herodotus Syros, hoc eſt Judæos in Palæſtina, ritum Circumciſionis ab Ægyptiis accepiſſe. Sed error inde eſt, quod Herodoto exterrarum gentium mores, notiores fuerunt, quam Judæorum. Ratio ob quam Deus Circumciſionem inſtituit eſt triplex. (1.) Ut eſſet ſignum fœderis Abrahami (2.) Ut nota eſſet Populi Judaici (3.) Ut typus eſſet cruenti Sacrificii, quod à Chriſto fuerat complendum. In deſerto quidem per integros 40. annos fuit intermiſſa, ſed non Sacramenti contemtu, verum ideo, quod Iſraëlitæ in deſerto caſtra ſubinde moverant, cumque in perpetuo ferè motu eſſent valetudini infantum malè fuiſſet conſultum, ſiquidem fuiſſent circumciſi, cum ex vulnere recenti vix ſanari potuiſſent. Eſt & alia ratio neglectæ circumciſionis, quod in vaſta illa ſolitudine nulli populi eſſent, à quibus Judæos dignoſci oportuit. De cætero Judæi omnes confitentur, Sacramentum Circumciſionis intolerabile fuiſſe. Nam quod Joſuæ V. v. 2. Iſraëlitæ in deſerto nati dicuntur circumciſi,

non

non eſt intelligendum, quaſi bis fuerint circumciſi, ſed quod ſub Joſua circumciſio fuerit repetita, hoc eſt in uſum reda-cta, quæ ſub Moſe fuerat paululum neglecta. Quod ad circumciſionis inſtrumentum attinet, cultros adhibitos conſtat, ſed an cultri fuerint ferrei an verò lapidei, de eo dubitatur. Ratio eſt, quod vox Hebraica צר Exod. IV. v. 25. & Joſ. V. v. 2. & ferreum & lapideum, ſed inſtar ferrei acutum cultrum denotat. Plerique veterum Interpretes, lapides ferreos intelligunt, contra alii abſurdum dicunt, lapide cutem abſcindere, ſed hi falluntur. Nam Ethnicos integra fere virilia ſc. vel teſta reſecuiſſe, Minutius Felix in Octavio de Gallis affirmat, & notum eſt Carmen Catulli:

De-vol-vit ille acuto ſibi pondera ſilice.

Sed cur dies octavus circumciſioni fuit ſacer? Judæi putant hoc ideo factum, quod Deus voluerit Sabbathum intervenire, cum dies Sabbathi infantibus robur conferat. Sed hæc ſine dubio ſuperſtitio eſt. Alii per octavum diem putant myſticè futurum ſeculum intelligi, diem æternitatis, quo ab omni peccatorum macula plenè circumcidemur. Sed nobis placet cauſa phyſica, quam Petrus Cunæus de rep. Ebræorum allegat, *animalia* inquit, *omnia recens nata ob bre-vem vitæ uſuram, ante diem octa-vum, in cenſu perfecto-rum animalium vix habentur.* Hinc *Deus victimam nullam intra octa-vum ſuæ nati-vitatis diem ſibi oblatum voluit.* Lev. XXII. quod ſc. imperfecta Deo non placerent. Placuit E. dies octavus, quod nec ante circumciſio commode ſine periculo peragi potuerit, & quod eam diutius differre opus non eſſet. Hodiernos denique circumcidendi ritus, Paulus Fagius Comment. in Paraphraſin Chaldaicam Deut. X. ſic exponit. *Quoties Judæi infantem hodie circumcidunt, reſectum præputium in vaſculum cinere plenum mox abjiciunt, quod adſtantium aliquis manu tenet. Poſtea pater*

infantis

infantis sic orat : Benedictus sit Dominus Deus noster , qui legem suam nos docuit , & huic puero ingressum in fœdus Abrahæ concesit. Adstantes respondent hoc voto. Sic tuus hic puer in fœdus Abrahæ fuit ingressus , ita eum porro ingredi facias in Legem Dei , in matrimonium , in vitam æternam.

VERBVM CARO.

Emphaticum est dictum quod Evangelistarum Aquila tradit. *In principio erat verbum , & verbum caro factum est & habitavit in nobis.* Solent h. l. Veteres & Recentiores varias rariones reddere , cur Filius Dei *verbum* vocetur; quas ut non reprehendimus , ita tamen verissimam putamus rationem ex Sacris Antiquitatibus petendam. Constat apud Judæos Tetragrammaton יְהוָה sacro silentio cultum fuisse , & quoties nomen illud Deo proprium occurrit , nunquam fuisse lectum vel pronunciatum , sed dictum , שֵׁם i. e. nomen vel *Schem Hamphoraſch* vel nomen absconditum , vel ideo , quod ἀνεκφώνητον sive ineffabile crederent , vel quod in hoc nomine tot mysteria laterent , quæ brevi sermone , nedum voce una exprimi non possent. Postea Judæi in captivitatem abducti Babylonicam , Idem nomen Jehovah quod olim καὶ ἐξοχὴν nomen dixerunt , Chaldaica dialecto vocarunt מֵאמָר h. e. verbum. Cumque tempore Christi lingva Aramena , h. e. ex Hebraica & Chaldaica mixta fuerit in usu , eaque Salvator locutus ipse , frequens fuit inter Judæos , ut nomen יְהוָה indicaturi dicerent *Memar* i. e. Verbum , eoque intelligerent nomen illud abscondidum. *Nomen quod est supra omne nomen* , verbum quod uno verbo non exprimi potest. Cum ergo Johannes Evangelista contra Hæresiarchas , Ebionem & Cerinthum, Divinitatem Christi vellet ostendere , vocavit eundem λόγον

h. e.

h. e. *Memar* vel verbum, ut innueret, Christum Jehovah esse, quod nomen apud Judæos erat sacrosanctum. Videatur hac de re Flacii Clavis sacræ scripturæ.

ANTIQVITATES NATALES.

INprimis Historia Nativitatis Dominicæ ferax est sacrarum Antiquitatum, & multa in ea controversiæ, ex sacra Antiquitate decidendæ occurrunt, v. g. quod Æra Dionysiana, qua hodie utimur, integro biennio fallat: ideoque Lucas scribit, Præsidem Syriæ Cyrænium fuisse, cum Christus nasceretur. Atque ex civili Historia constat, Cyrænium non tum Syriæ Præfectum fuisse, sed Saturninum. Porro qua anni parte, autumno an hyeme, Christus sit natus. Hyeme natum Ecclesia vulgo credit, quæ mense Decembri Natalem Domini celebrat. Sed nos in initio Octobris Christum natum censemus, cum apud Judæos tabernaculorum festum esset. Sic etiam locus natalis convertitur. Vulgo existimant, Christum in oppido Bethlehem natum, sed nos putamus Christum ex Bethlehem in spelunca, urbi vicina, natum esse. Præsepi in quo positus est Christus vel infans, veteres bovem & asinum alligant Christumque in fœno positum esse affirmant. Sed nihil hac de re sacra Scriptura. Quod ad matrem attinet, hanc virginem peperisse extra dubium est, sed an semper virgo manserit, sacris literis expressum non est, quamvis adeo constanter id virgines crediderunt, ut dissentientes inter hæreticos detulerint & Antidico-Marionitas dixerint. Patrem putativum Christi Josephum, fabrum fuisse, sacer codex affirmat, an vero lignarius an ferrarius fuerit, diserte non additur.

Veneranda Antiquitas lignarium fabrum censuit. De Angelis tradit quod cœlo effusi clamarint: *Gloria in excelsis Deo.* Vulgo putant ceciniſſe. Atque hinc Muſicæ Eccleſiaſticæ originem deducunt. Sed in Sacris non lego quod cecinerint. Denique de Paſtoribus Bethleh. veteres exiſtimant vigilias illos tenuiſſe, juxta turrim Ador, quæ Mich. IV. 8. *propugnaculum filiæ Sionis* dicitur. Eodem in loco Templum poſtea conditum cum monumento trium Paſtorum, quin & ab his paſtorum excubiis, Eccleſia morem agendi vigilias accepit. Autor denique Feſti Natalis creditur Teleſphorus Papa, circa l annum Chriſti CXXX. verum hæc pluribus hic perſequi non placet, ideo, quod ſuperiori anno hæc omnia publico Programmate pluribus ſint a nobis oſtenſa, ad quod Studioſos Sacrorum Antiquitatum remittimus.

MAGI.

NAto Chriſto, Gentium primitiæ, Magi ab Oriente munera Jeſulo recens nato attuliſſe dicuntur, Matth. II. 1. Ubi notandum I. *Magos trifariam dici.* 1. *Veneficos & præſtigiatores*, qui ex pacto cum Dæmone futura prædicunt, poſtquam honeſtior Magiæ h. e. Philoſophiæ naturalis diſciplina in χολεῖον tranſiit. Sic in malam partem ſumitur in Actis, ubi *Simon Magus*, hæreticorum omnium ſignifer & *Elimas Magus* commemoratur. 2. Magi olim fuerunt dicti, non ob artis alicujus profeſſionem, populi in Media, quorum Herodotus lib. 1. & 3. meminit. 3. Magi fuerunt *Perſarum Sapientes*, quos hodie Philoſophos dicimus, erantque viri, virtute & doctrina magni. Nam (1) inſignes erant Theologi, quia primaria ipſorum cura, ut divinus cultus religioſe ageretur. Hinc Plato Magiam definit,

finit , τὴν θεῶν θεραπείαν in Alcib. Imo ex Magorum ordine omnes Perſarum Sacerdotes erant eodem apud Perſas loco , quo apud Judæos Levitæ. Hinc Apulejus obſervat , *Magum Perſica lingva eſſe eundem qui apud nos eſt Sacerdos* (2.) Inſignes porro Medici erant , nam vires herbarum , virrutes gemmarum , imo fere omnium naturalium rerum callebant , & quod eximii Botanici juxta ac Phyſici eſſent. Medici vocabantur teſte Aretio lib. 145. (3.) Inſignes Politici , ICti erant. Erant enim Regum Conſiliarii & per Provincias Dynaſtæ , qui regio nomine Provincias Perſiæ gubernarent. Hinc nemo apud Perſas Rex fieri potuit , qui Magorum diſciplina non eſſet inſtructus (4.) Inſignes denique Philoſophi , Aſtrologi , præſertim Mathematici & Genethliaci erant , quo nomine in Hiſtoria Danielis commendantur. Quod verò in ſpecie ad hos Magos attinet , quod Salvatorem recens natum , Auro , Thure & Myrrha venerati ſunt , dubium I. eſt , Tempus adventùs eorum. Epiphanius putat , completo ferè biennio adveniſſe , cum Infanticida Herodes omnes bimulos puerulos occidi fecerit , ſed non ſit probabile , quod Maria in Bethlehem per biennium manſerit. Reſpondet quidem Epiphan. Mariam quotannis in memoriam Nativitatis Dominicæ Berhlehemum abiiſſe , ſed non habet unde hoc probet. S. Chryſoſtomus putat , *Magos ſuos itineri dies 40. impendiſſe* , quæ opinio ſit probabilior , cum credibile ſit , B. Virginem per tot dies puerperii Bethlehemitici ſubſtitiſſe. Alii denique quibus nos accedimus , putant , vix 13. dies huic itineri impendiſſe Magos , quod ne quis miretur , quomodo integra 200. milliaria abſolvere potuerint , ſciendum eſt , Dromedariis fuiſſe uſos. Sunt qui Magos ex Saba , Arabum regione educunt , ſed malè , quia Saba , reſpectu Palæſtinæ verſus meridiem ad mare rubrum ſita eſt. Hinc Chriſtus Re-

ginam Sabæ, *Reginam Austri* dixit, Matth. XII. v. 24. Sed Magi, qui munera Christo obtulerunt, ab Oriente venisse dicuntur. Alii putant, Magos Medos fuisse, apud quos integer populus est, qui Magorum nomine venit. Sed verò fit simillimum, hos Magos Persarum Sapientes, similes Gallorum *Druidibus*, Indorum *Brachmannibus*, & Græcorum *Philosophis* fuisse; Persia enim Judæis Orientalis est. Videntur Astronomiæ periti fuisse & Vaticinio Bileami; *Orietur stella ex Jacob*, inducti, cum novâ stellâ novum Regem expectasse. Quot Magi fuerint, in Sacris literis proditum non est, vulgo credunt tres fuisse, quod tria munera *Aurum, Thus, Myrrham* obtulerint. Sed infirma hæc est ratio, perinde ac tres Reginas de Saba venisse existimes, quod aurum, aromata & gemmas Regina Sabæ Salomoni obtulerit 1. Reg. X. v. 16. Plures unò fuisse, ex Historia Evangelica constat. Porro eosdem Magos Reges faciunt; hinc adhuc *Festum Trium Regum* dicimus, sed probabile nobis non videtur, primitias illas gentium majestate insignes fuisse, ut hodiè Reges dicimus. Interim cum in Persia magnæ autoritatis, & urbium vel Provinciarum Præfecti Magi fuerint, facilè crediderim, hos quoque Magos Toparchas, Dynastas vel Regulos fuisse, quos Hebræi indifferenter Reges appellant. Sed ex Ps. 77. v. 50. *Reges Arabum & Sabæ honoraria afferent*, malè colligitur, Magos Reges fuisse. Nam Psaltes dicto loco non præcisè de Magis, sed de amplitudine Ecclesiæ agit, ad quam successu temporis Reges gentium debeant converti. Denique Magis certa quoque nomina assignant *Melchior*, *Caspar*, *Balthasar*. alii hæc hebraica *Magalath. Sagalath. Sarari.* Alii hæc græca *Apellius*, *Amerius*, *Damascus*, sed hæc omnia sine fundamento Sacræ Scripturæ sive Veteris Ecclesiæ, quin & Chordomius in libro de Medicina, quem Lilium dixit, de Magorum nomi-

nominibus hæc habet. *Si quis ponat os ſuper aurem Epileptici & recitet hos tres verſiculos:*

Caſpar fert Myrrham, Thus Melchior, Balthaſar Aurum
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum,
Solvitur â morbo, Chriſti pietate, caduco.

Fore ut Epilepticus ſtatim ſanus & incolumis ſurgat, idque frequenter probatum. Sed credat qui volet, ut & hoc quod Magorum corpora hodie in Germania Coloniæ ſerventur.

STELLA MAGORVM.

DE Magorum ſtella variæ ſunt Interpretum ſententiæ. S. Chryſoſtomus putat Angelum fuiſſe. Verum Angelos quoties in Scriptura S. apparuerunt, locutos invenio. Sed hæc Mogorum ſtella fuit muta. Scaliger exiſtimat Cometam fuiſſe. Sed Cometa eſt meteorum, â Cauſis naturalibus in aëre ortum. Unde Magi non præciſe novum Regis adventum divinare potuerunt, cum ſæpè aliis quoque de cauſis Cometæ appareant. Neque verò crediderim unam è ſtellis in æthere fixis fuiſſe. Nam ex Stella in firmamento non poteſt duci aliquo certa linea, quæ certam aliquam domum indicet. Sed nec Planeta fuiſſe videtur, quia Planetæ ſub Zodiaco ſe continent. Hæc autem ſtella extra Zodiacum ſteterit, & diverſo â Planetis modo proceſſit. Probabile ergo fit, Magorum ſtellam fuiſſe Phantaſma, φαινόμενον, divinitus in aëre productum, quod ad modum ſtellæ in oculos Magorum incurrit, iisque viam ad præſepe Domini præmonſtravit. Et hâc ſtella Magi cognoſcere adventum Meſſiæ potuerunt, cum duo Vaticinia quæ in Perſia ſervabantur, conjungerent. Alterum Bileami, qui, *cum novo Sceptro novam Stellam* promiſerat, (hæc enim verba literali

ſenſu

ſenſu acceperunt), âlterum Danielis de LXX. hebdomatibus, intra quas novus ille Rex Judæorum debeat naſci. Hæc autem ad finem jam pergebant. Plura de hac Magorum ſtella habet S. Ignatius, Epiſt. ad Eph. S. Cyprianus de ſtella & Magis, aliique Veteres quibus B. Calixti hiſtoriam conjungo.

JVDICIA JVDÆORVM.

MEmorabile eſt Sálvatoris dictum : *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit Judicii, Qui dixerit Raccha, reus erit Concilii, qui dixerit fatue, reus erit ignis Gehennæ.* Quo loco tria ex Antiquitate reſolvenda veniunt 1. eſt vox *Raccha* quam alii derivant ab Ebr. *Rach* vel *Raach* quod hoc dicterio uterentur, quoties alter alteri malum precaretur. Alii derivant à רק ſputum & putant germanicè ita reddendum, Pfuy dich. Alii deducunt à verbo ריק, vel vanitas, vel vacuitas & exiſtimant hoc ſcommate fratri levitatem, vel potius vacuitatem, vel membris ſoliditatem objici. Et ut Salvatorem à ἀυτολογία abſolvant, dum fatui nomen à *Raccha* diſtinguit, dicunt, more hebraico per fatuum à Chriſto Atheum intelligi, quia *fatui in corde dicunt : non eſt Deus.* His ferè accedit Tremellius, qui docet, apud Syros vocari *Raccha* hominem fatuum, judicio, mente, cerebro vacuum, & idem eſſe quod apud Græcos καῦνος. Verum S. Auguſtinus, cui nos accedimus. dicit, *Raccha* interjectionis inſtar eſſe, quæ nihil præcisè ſignificet, quam animum ira commotum. Hinc & S. Baſilius ſuo adhuc ævo, vocem *Raccha* ſcribit fuiſſe uſitatam, vel ut leve convitium, quod adverſus familiares ſit adhibitum. Alterum eſt de Judiciis Hebræorum, quæ tria erant. *Minimum*, in quo tres viri judices ſedebant, qui de cauſis pecuniariis, aliisque minoris momenti negotiis & controverſiis cognoſcebant, aliàs *triumvirale* dictum.

Secun-

Secundum erat *Synedrium parvum*, in quo 23. judices ſedebant, qui criminalia cauſasque capitales tractabant. Tertium erat *Synedrium magnum*, quod præter Præſidem LXX. Senioribus in Iſraël conſtabat, inſtitutum â Moſe Num. II. In magno illo Synedrio, de Summa totius Reipublicæ, de integra tribu, de Bello & pace, de ſummo Sacerdote, de Pſeudo-prophetis, aliæque cauſæ Theologicæ tractabantur. Ad hæc Judæorum Judicia, dicto loco reſpexit Salvator; ſed alio ſenſu, quam vulgo putatur. Vulgo enim putant â Chriſto tria peccatorum genera, *Cordis*, *Oris* & *Operis* ſuis tribus Judiciis ſubjici, ita ut peccata cordis, quale eſt ira, Judicio minimo: peccata Oris, Synedrio parvo: peccata Operis, Synedrio magno ſubjiciantur. Sed hic vulgi error eſt. Nam ex ſcopo Chriſti patet, quod hoc loco nulla judicii minimi fiat mentio. Scopus Chriſti eſt contradicere Phariſæis, qui docebant, *quisquis occiderit fratrem reus erit judicii.* Ubi ſic per judicium hoc non intelligitur *Minimum*, in quo tres ſolum viri judicabant, nam in illo judicio cauſæ capitales, qualis eſt homicidium, nunquam fuere diſcuſſæ. Exiſtimo igitur, hunc verborum Domini ſenſum eſſe: Vos Phariſæi, quando dicitis, homicidam Judicii, h. e. parvi Synedrii reum, ſed in Dei Judicio etiam ille, qui apud animum ſuum fratri temere iraſcitur, eodem eſt loco, quo vos homicidam putatis. Et vel Ira hujusmodi capitalis cenſetur, propter quam aliquis obnoxius Synedrio parvo redditur. *Si quis* porro non iraſcatur tantum, ſed velleve convitium, quale eſt *Raccha*, *fratri dixerit*, *in Dei foro tantum hoc crimen eſt*, ut quod inter vos aliquis, magno Synedrio ſit obnoxius. *Si quis* porro *injurioſum convitium erga fratrem evomat*, *hic in Dei Sacro citra omnem cauſæ in judicio diſcuſſionem in æternas pœnas incidit*, *eſtque filius Gehennæ.* Tertium hoc loco ex Antiquitatibus reſol-

vendum de Gehenna ignis; sed de valle *Gehinnom*, nos priori libello ex 2. Reg. 23. jam supra egimus.

SYNEDRIA.

Matth. X. 17.

TRiste est Prognosticon cum Salvator ad Discipulos ait: *Tradent vos in Synedria, & in Synagogis* vos flagellabunt. Miretur aliquis, cur Salvator hoc loco Synedria in plurali appellet, cum in Palæst. non fuerit nisi unum Concilium magnum, quod absolute Synedrium vocabatur, idque Hierosolymis, uno Præside & LXX. assessoribus constabat. Natales hoc ipsum debuit Mosi, & post Mosen semper in eo fuit Præses Sapientissimus in Israël, qui propterea *Caput Scholæ, curiæ vel Academiæ, item Princeps domus judicii vocabatur*, ejusque proximus Collega erat quasi Coadjutor Præsidis, q' em propterea *Patrem Consistorii* vocabant. Sed tale Synedrium non erat nisi unum, unde ergo Christus dixit: *Discipulos in Synedria*, (quasi plura essent) *traditum iri*? Syrus interpres existimat, enallagen numeri, & pluralem pro singulari positum esse, unde in singulari reddidit: *Tradent vos in domum judicii.* Alii putant, Synedrii nomine, h. l. Synedria parva intelligi, in quorum singulis 23. Judices sedebant, & hæc per Palæstinam erant multa. Nam si quæ urbs centum & viginti patresfamilias haberet, Synedrii parvi erat capax. Verum obstat, quod in his Synedriis criminalia tantum, non causæ Sacerdotales, vel Ecclesiasticæ, de quibus Discipuli accusabantur, discussæ. Alii per Synedria putant concilia gentium intelligi, sed pugnat, quod Salvator statim addit de Synagogis, in quibus sententia Synedrii debeat executioni mandari. Atque Synagogæ non fuerunt nisi inter Judæos. Nos ut dubium sol-

vamus

vamus ex Joſeph. lib. 1. de bello judaico notandum ducimus, quod Præſes Syrius Gabinius, ſub Rege Alexandrino filio Ariſtobuli Judæam ſub novam formam redegerit. Inter alia ſcribit Joſephus, Gabinum in Palæſtina quinque magna concilia, vel Synedria ordinaſſe, quorum *unum* Hieroſolymis voluit continuari. *Secundum* Gadaris. *Tertium* Amanthunte. *Quartum* in Hiericho. *Quintum* in Galilæa. Cum igitur tempore Chriſti non amplius unum Synedrium, ſed quinque concilia magna eſſent, jam ratio conſtat, cur Salvator Synedria appellet. Nam in his quinque conciliis Apoſtoli accuſabantur, imo damnabantur, poſtea in Synagogis juxta ſententiam in Synedriis latam, flagellabantur, ut patet Actor. XXIII. 19.

CORBAN.

Matth. XV. 5. Marc. VII. 12.

CHriſtus volens reprehendere Phariſæos quod Dei Præcepta irritarent, & ſua παραδόσεις confirmarent, inter alia illis hæc objicit. *Si dixerit quis homo apud vos, vel patri vel matri corban, donum quod ex me eſt, tibi profuerit.* Hujus vocis variæ, præſertim tres ſunt expoſitiones. I. Eſt S. Hieronymi & Theophylacti qui ſic explicant. *Mi pater, equidem lubentiſſime juvarem, ſed omnia quæ habeo ſunt Corban, vel Deo conſecrata. Cum ergo omnia mea bona, ad pios uſus legaverim, & templo donaverim, in tua egeſtate tibi ſuccurrere non poſſum. Interim omne id, quod templo dedi, perinde ac ſi tibi donaſſem: nam & tibi meritorium erit.* Eo ſenſu, quo hodie Pontificii docent; Si quis Paterfamilias omnia bona Monaſterio leget, hoc toti familiæ coram Deo profuturum. Ejusdem ſententiæ eſt B. Lutherus, qui Marc. VII. ad hunc locum ſcribit: *Corban heiſt*

ein Opffer / und ist kürtzlich so viel gesagt : Lieber Vatter/ ich geb es dir gerne / aber es ist Corban , ich lege es besser an / wann ichs GOtt gebe / denn das hilfft dir so wohl als mir. Sed huic sententiæ subscribere non possum , ideo, quia in Antiquitatibus Ebræorum hæc lex fixa est : *Cogitur filius alere parentem.* Hæc est Regula Juris Judaici , & iterum : Deus honorandus est , si habeas bona , sed parentes sunt honorandi , sive habeas , nec ne , nam si nihil habes, propter alendos parentes mendicare debes. Unde constat , liberos salva hac lege a nutritione Parentum se excusare non potuisse , per hoc quod bona ipsorum essent *Corban* , vel Deo devota. II. Expositio vocis *Corban* est illorum , qui existimant , hac voce formulam jurandi contineri, ut sit hic sensus ; per *Corban* vel ego vanus sim , vel dispeream , si qua in re juvari à me possis. Sunt etiam tales ellipses apud Ebræos crebræ , v. g. si dicitur : *Si Davidi mentiar ! si in requiem meam intrabo* ; ubi juramentum semper intelligitur , sed tum dici debuisset ἐν κορβᾶν , vel per *Corban*, non absolute *Corban.* Audiendus h. l. est Masius , celebri Comment. in Josuam c. VI. v. 19. *Res* , inquit , *Deo Sacræ, Græci* ἀναθέματα vel ἀναχείμενα Ebræis *Corban* , & elisо ה interdum dicuntur , a radice קרב offerre , cujusque apud Doctores jurandi vel potius devovendi formula , ut dicant *Corban* , vel Anathema vel res devota esto , si quid in mea manu sit , quo Tibi prodesse possim : quo sc. voto , sive juramento , cum quis erga alterum uteretur , Rabbini nefas ducunt , alterum , licet proxime cognatum , ullo officio juvare , ne quod hac execratione Deo devoveatur , humanis usibus subserviat. Atque hæc est illa ipsa traditio , quam sub voce *Corban* , Christus citat & damnat , a nostris minus commode hactenus explicata. Hæc Masius. III. Vocis *Corban* , cui nos accedimus , expositio est illorum , qui hunc verbo-

verborum ſenſum faciunt, quaſi diceret filius: *Mi pater, equidem vellem te juvare, ſed ego ipſe ſum Corban, vel devovi me Sacerdotum miniſterio, ideoque me Sacerdotibus adeſſe oportet, tibi prodeſſe vix poſſum.* Interim quod ad me, vel quantum fieri licuerit, ſi quid temporis miniſterio Sacerdotum detrahere potero, adero tibi, tuoque petito deferam. Quod ut recte intelligas, ex Joſepho notes hæc verba: *Corban ſe ipſos nominabant homines Templo & Sacris devoti. Hi a miniſterio ſacro non dimittebantur, niſi Sacerdotibus pecuniam numerarent. Mulier 30. Siclos, Vir 50. Si quis tantum pecuniæ non haberet, in arbitrio Sacerdotum erat, an relinquere vellent hominem, nec ne.* Joſeph. lib. 4. Antiq. c. 4. Itaque hic demum eſt ſenſus verborum Domini. Reprehendit Chriſtus (1.) liberos, qui hanc excuſatiunculam, ſe eſſe ſacris devotos prætexere ſolebant, ne parentibus obſequi tenerentur, cum tamen liberi data pecunia, a miniſterio Templi ſe redimere potuiſſent. Reprehendit (2.) Sacerdotes, qui liberos, præſertim egenos, in miniſterio ſuo detinebant, quos tamen gratis in pecuniæ defectu, ad alendos Parentes dimittere debuiſſent.

BEELZEBVB.

Luc. II. 15.

VOx Compoſita eſt Beelzebub, a *Baal*, quod Dominum ſignificat, & *Sebub* quod denotat Muſcam. Quod ad Originem Baal attinet, ſciendum eſt, primæ Monarchiæ fundatorem Ninum, Conditorem urbis Ninivæ, Parenti ſuo defuncto Belo, honorem poſt mortem habiturum, ingentem ſtatuam erexiſſe, eandemque ſubditis ſuis adorandum propoſuiſſe, atque hæc univerſæ idololatriæ primordia vulgo cenſentur. Chaldæi poſtea, cum hujus idoli

cultum reciperent, vocarunt *Bel*, de cujus everſione, Danielis fragmenta legantur. Idem idolum Palæſtini vocarunt *Baal*, quod poſtea in aliorum Deorum commune nomen tranſiit. Hinc Judæi multis *Baalim*, hoc eſt Diis vel idolis ſerviſſe dicuntur. Cum vero unum ex his idolis ſit *Beelzebub* dictum, a muſca, hac de re duæ imprimis ſunt ſententiæ. Altera eſt Scaligeri, qui ſub finem præclari operis de emendatione temporum, de hoc Dæmonarcha ſic ſcribit. *Hebræi in genere Deos Baalim vocarunt, ſed ut agnoſci poſſet Deorum diſcrimen, ſingulos ab aliquo attributo cognominabant. Ita v. g. Qui Græcis erat Jupiter Olympius, hic Ebræis erat Baal Schamaim h. e. Dominus Cœli, vocabatur. Verum per σκάμμα Ebræi Beelzebub I. Deum Muſcarum* Einen Fliegen Gott *dixerunt. Hinc enim mos eſt Ebræis, ut Deos Gentium non honorifico, ſed infami aliquo nomine denotent. Ita pro Bethel, quod eſt Dei domus, ex odio in Samaritanos dicebant Bethaven, vel domum vanitatis.* Idem Scaliger in Elencho Trihæreſium contra Serrarium Jeſuitam, hæc addit. *Crediderim Acaroniticum Idolum*, 2. Reg. 1. *fuiſſe dictum Baal Zebachim, h. e. Deum Victimarum, ſed Sacram Scripturam per contemptum vocem Zebachim, in Zebub transmutaſſe, & Beelzebub ideo muſcarum Deum dictum, quod cum Hieroſolymis, in templo nulla muſca victimas liguriret, Dii tamen Gentium, ne â muſcis quidem ſuas victimas defendere potuerint*, hæc Scaligeri. Verum altera eſt Sententia Johannis Seldeni, qui Syntagmate de Diis Syris cap. 5. exiſtimat, illos ipſos, qui hoc idolum coluerunt, non per contemptum, ſed honoris ergo Beelzebub vocaſſe; Verba Seldeni ſunt hæc: *Cum Rex Iſrael Ahaſias ægrotaret, de valetudine ſua Deum Acaronitarum Beelzebub conſuluit, ut legitur.* 2. Reg. 1. *Hinc Joſephus ad hoc Ahaſiæ factum refert, Acaronitas, inter Deos habuiſſe Muſcas. Alii putant Be-*

elzebub

elzebub dici , à multitudine muſcarum quæ victimis Deorum inhæſerint , cum veri Dei muſca nunquam infeſtarit. Hinc Rabbini dicunt , non conſpecta eſt muſca in domo mactationis. Sed mihi perſvaſisſimum , quod ipſi Acaronitæ , Deum , quem coluerunt , Beelzebub dixerint. Nam ipſe Ahaſias Rex cum conſuleret hoc Idolum Beelzebub vocavit , ſed nemo Deum, quem conſultat , inhoneſto nomine appellat , quin & Arcades Deum adoraſſe dicuntur Myaton , & Elæi Jovem ἀπομυον, h. e. Depulſorem Muſcarum teſte Pauſania in Arcadinis. Sicut ergò ab Erythræis , Deus aliquis fuit dictus ἰουλονος qui vermiculos vitibus infectas tolleret , & Apollo fuit dictus μυοκτόνος , quod mures abigeret , teſte Euſtatio in librum 1. Iliad. *Ita etiam Beelzebub fuit dictus Deus , qui muſcas à victimis depelleret. Huic rei fidem facit , quod Pauſanias ſcribit in Arcadia. Antequam victimæ mactarentur Heroi cuidam* Μυάγρω , *h. e. muſcarum abactori ſacra facta.* Et quod Ælianus lib. 2. *refert in Apollinis templo annua ſacra muſcis facta* hæc Seldenus. Ab hoc Idolo Beelzebub Philaſtrius Hæreticos derivat , quos Muſciculos vel Muſcacaronitas appellant , qui muſcarum civitatem Acaron colebant. Poſtea in Africam hoc nomen & numen videtur traductum. Refert enim Plinius Naturalis Hiſt. lib. 30. quod Cyrænei Deum Achorem adoraverint , quoties muſcarum copia peſtilentiam attulerit, creditumque fuiſſe, muſcas ſtatim interire , ſi huic Deo litatum eſſe. In hoc Deaſtro Achoræ veſtigium Acaronis reperiri , & quæ dicto loco Plinius de Achore affirmat , eadem de Accaronitico Beelzebub dici poſſe videntur. De cætero in Sacro Codice græcæ verſiones omnes non Beelzebub legunt , ſed βεελζεβὰλ , *Deum Stercoreum.* Hinc etiam Prudentius Hymno 5. περὶ στεφάνω

Beelzebulis callida
Commenta Chriſtus deſtruit.

Alii

Alii verò, inter quos Luth. putant, mendum aliquod in textu græco hic esse; Interim communior est Sententia Beelzebub, in contumeliam Idoli sic dictum. Cur denique Princeps Dæmonum vocetur Beelzebub, equidem me cum doctissimis viris fateor nescire.

TIBIÆ FUNEBRES.

LEgimus Matth. IX. 23. *quod Salvator ex ædibus Jairi tibicines ejecerit, qui ad funus defunctæ puellæ cecinerint.* Ubi haud immerito quæritur, quid in domo luctus, tibicines fecerint? presertim cum Judæi nulla Dei lege, tibicinis ad funera vocare sunt jussi. Alii rationem petunt, ab ætate puellæ, & existimant, quod hic honor in specie virginibus defunctis sit exhibitus. Sed nos observavimus hunc morem canendi tibiis, in funeribus Judæorum omnium indifferenter fuisse adhibitum. Hinc natum est proverbium, quo ipse Christus utitur: *Cantavimus vobis in Tibiis, vos non saltastis, lamentati sumus* (sc. iisdem tibiis) *vos non ploraſtis.* Quin & Joseph. l. 3. B. J. c. 17. scribit: Capta Joppe famam Hierosolymis sparsam, Josephum occisum, quo audito Hierosolymis tibicines fuerint conducti, qui funus ejus intimarent. Itaque Judæi promiscue ad funera Tibias adhibuerunt. Sed cum in Vet. Test. nihil ea de re Judæis sit præceptum, vel promissum, vero simile sit, Judæos hunc morem canendi tibiis ad funera, ab Ethnicis accepisse, apud quos similis consvetudo obtinuit. Hinc Homerus allato Hectoris cadavere scribit: Cantores adfuisse ἄρχους θρήνων. Hi cantores in sacris dicto loco αὐλητὰι dicuntur, quia apud veteres αὐλὸς erat organon θρηνητικὸν. De cætero duo notentur, alterum quod Ethnici Græci λοῖς αὐλοῖς, Latini tibiis in luctu, sed lyra in rebus lætis fuerint

rint uſi. Notetur ſecundo, quod Veteres ad majora funera tubas, ſed ad minora tibias uſurparint, perinde ut hodie in funere honoratiori campana major pulſatur, hinc Propertius:

Tibia funeſta, triſtior illa tuba.

Et Perſius Satyr. 4. refert, in funere cujusdam Patricii tibicinem auditum non tibiæ ſonitum. Alii tamen exiſtimant, in magnis funeribus, & tubas, & tibias ſimul auditas; Sed ſi neutrum in funere adhibitum eſſet, ignominioſum erat. Sic Cic. pro Milone ſcribit: *Clodium ſine cantu, ſine tibia, h.e.* ohne Klang und Geſang ut germani dicunt, *fuiſſe ſepultum.* Præter hunc Tibiarum morem Gentiles varias ſuperſtitiones circa defunctos habuerunt, præſertim in conteſtando ſuo luctu. Alii ſemetipſos acubus vulnerarunt, vel cultellis inciderunt, poſtea atramento vulnuſcula obtegebant. Tale quid de Sacerdotibus *Cybelis* Lucianus, & de Sacerdotibus *Baalim* ſacer Codex affirmat 1. Reg. XV. Alii in luctu capillos radebant, & defunctis offerebant; alii barbam evellebant, alii ipſa ſupercilia abſcindebant, & defunctis offerebant, quæ ne Judæi imitarentur, Deus ſevere prohibuit Deut. XIV. v. 1. Interpr. B. Luth. Ihr ſeyd Gottes Kinder/ darum ſolt ihr euch kein Mahl machen/ noch kahl ſcheren über den Augen wegen eines Todten. Eo tamen non obſtante, Judæi ſacris funebribus ritus Ethnicos intulerunt. Hodie ſi quis Judæus moritur, monetur (1) Ut ſe totum divinæ miſericordiæ ſubmittat (2.) Quæritur an credat futurum Meſſiam (3.) Confiteri jubetur; qua Confeſſione hæc addit: *Sit mors mea omnium meorum peccatorum expiatio.* Poſt illa repudiat uxorem, h.e. dat illi facultatem, ut ſe defuncto alteri nubat. Poſt mortem Judæi aqua omnis in domo ejus reperta effunditur, & cognati ejus quinque proximi veſtes lacerant, nec intra domum ejus edunt, nudisq;

pedibus funus ejus deducunt. Sed veri Christiani ab illis Gentilium & his Judæorum vanitatibus alieni sunt. Hinc eleganter Tertullianus, lib. de corona militum, *mortuus*, inquit, *apud nos æneatoris tuba, non est inquietandus, quia Archangeli tuba excitari expectat.* Denique apud Ethnicos imprimis quatuor signa, foribus defuncti olim apposita, veniunt notanda, quorum I. erat *vas aquæ lustralis*, quæ ex domo non funesta erat allata, hac omnes qui exsequias ibant, se conspergere solebant, ut purgarentur, teste Julio Polluce lib. IIX. 7. Alterum funestæ domus indicium erat capillus, *a defuncti capite resectus*, & foribus appensus qui indicabat, in domo illa stragem a morte editum, teste Euripide in Alcesdite v. 99. Tertium erat *cupressum*, itidem ante fores affixa, de qua Serv. in quartum Æneid. *Romani*, inquit, *cupressum, quæ excisa non renascitur in vestibulo mortui ponebant, ne quis rem sacram facturus, hanc domum imprudens intraret.* Quartum denique signum erat, *Cereus*, qui in nonnullis locis ad pheretrum, vel pedes defuncti accensus locabatur, qui mos postea in Ecclesiam transiit. Hinc ex S. Hieronymo aliisque priscis Patribus constat, defunctos Christianos accensis lampadibus & cereis ad tumulum delatos, qui mos adhuc h. l. perseverat. S. Chrysostomus existimat, cereis indicari, quod Christiani fuerint Athletæ, sed hac de re pluribus videatur Kirchmannus erudito libello de Funeribus Veterum.

HISTORIA CRUCIFIXIONIS.

CRucifixio erat crudele & supra ignem supplicium. Quod ad modum cruxifigendi attinet, hic duplex erat. *Vulgaris*

garis & *rarus*. Circa *Vulgarem* antecedentia, concomitantia & consequentia veniunt notanda. *Antecedentia* erant duo, *flagellatio* & *deductio*. *Flagellatio* erat solennis, & raro in crucem dati sunt, nisi prius flagellati. Ante flagellationem præco clamabat; *verbera & postea arbori infelici suspendito*. Vid. Joseph. lib. 5. Excid. Jud. c. 32. interdum ad hanc rem virgæ erant usitatæ, sed communiter lora servis debita, adeo aspera ut Ulpianus scribat: *sub his flagris multos crucis canditatos obiisse*. Solebant enim milites vel carnifices, hæc flagra talis ac ossiculis exasperare. Hinc *flagra talaria, taxillata, teessellata vel catenata* vocabantur. Atque hujusmodi flagris Salvator ipse cæsus, teste Nonno, qui horribili habena, Christi corpus rubefactum refert. Hinc patet errare Pictores, qui plerumque virgis cæsum pingunt. Hæc crucifigendi flagellatio interdum domi, sæpius in prætorio, exemplo Christi, vel in publica per viam deductione fieri solebat. Hinc Plautus de patibuli canditato. *Abducite hunc, & ad columnam fortiter adstringite*. Simili modo Christum ad columnam alligatum, Evangelia quidem non exprimunt, sed prisci Doctores tradunt. Hanc columnam Hieronymus suo adhuc ævo stetisse refert, epistola ad Eustach. imo fulcri usum in templo habuisse Prudentius hoc docet versu

Præstat adhuc templumq; gerit, veneranda columna.

Alterum quod crucifixionem antecessit fuit, *deductio cum ingenti molestia* fieri solita. Nam maleficus ipse crucem, vel saltem crucis partem, humeris suis ferre cogebatur, teste Artemidoro lib. 2. c. 62. Sic & Christus, lignum crucis transversum portavit ipse, donec a Simone Cyrenæo sublevaretur Joh. XIX. Huc referunt Veteres Typum Isaaci; quem cum Pater Abraham immolare voluit, struem lignorum ipse portavit. Quin & huc referunt vaticinium

Es. IX. *fore, ut imperium Messiæ in humeris ejus recumberet.* In eadem deductione miseri varie vexabantur, propellebantur, dejiciebantur, stimulis agebantur. Hinc est illud Plauti: *Si huc venerit Senex, inter te per viam stimulis forabit.* Atq; hunc stimulandi morem nescio an non pictores respiciunt, cum ad primam Christi tunicam asserculum, acutis clavis consitum, pingunt. Verum veterum stimulatio longe aliis stimulis fuit facta. Quod ad *concomitantia* crucifixionis attinet, horum primum erat *nudatio.* Simul enim cum ad crucem venerant, hominem exuebant, quæ denudatio in plerisque veterum suppliciis fuit recepta, ut qui nudi in mundum venerant, etiam nudi e vita educerentur. Hinc est locus ille Artemidori. *Crucifigi bonum est pauperi, quia sublimis crucifigitur, sed noxium diviti, quia nudus crucifigitur.* Similem in modum Christus sub cruce fuit nudatus. Nudi porro, in crucem aliquando jacentem, & humi positum, figebantur. Hinc de S. Pionio Martyre legimus, quod cum crucifigi debuit, ultro se vestibus spoliaverit, cœlum suspexerit, gratias Deo egerit, & se ipsum super crucem extenderit, ut clavis configeretur. Sed plerumque cruci jam erectæ maleficos affigebant, hinc natæ illæ formulæ. *Ascendere in crucem, salire in crucem, excurrere in crucem.* Post hæc, effictio in cruce fuit duplex, alia funibus, adstrictio vocabatur, hoc modo Ausonius cupidinem suam pingit.

Devinctum post tergamanus substrictaq; plantis
Vincula, mœrentem nullo invidoramine pœnæ
Affigunt.

Sæpius tamen clavis figebantur, teste Artemidoro l. 2. c. 158. Atque hoc supplicium in specie *clavifixio* vocabatur. Atque hoc ipso modo Christus clavis fixus est, ut illud Davidicum impleret. *Foderunt manus meas pedesque meos.* Quin & Eusebius ab Helena clavos crucis domini-

minicæ inventos esse scribit. Bini quidem Latrones cum Christo crucifixi, vulgo cum vestibus pinguntur, sed error est. Hi tamen pariter atque Christus clavis fixi. Tertium inter Concomitantia est *Titulus Crucis vel Inscriptio.* Solebant Veteres Titulum, qui causam mortis continebat, interdum malefico præferre. Hinc de Attalo Martyre scribitur, quod cum ad supplicium duceretur, tabella illum præcesserit, cum hoc Titulo: *Attalus Christianus.* Aliquando autem Titulus iste ad crucem poni solebat, quod Svetonius Domitiano affirmat, idemq; in Christo observavit, sed nec rarò nullus fuit Titulus, sed suffecit, cum præco maleficum præiret, & viva voce populo facinus nunciaret. *Consequentia Crucifixionis* erant tria. *Mors, Corruptio, Custodia.* Moriebantur autem in cruce ob varias causas. Alii ex stillicidio sanguinis, propter pedes manusque perforatas vel ob acria, quæ sustinuerunt flagella, alii fama peribant. Nam diu in cruce vivere poterant. Sanctus Andreas biduo de cruce fuit concionatus. Interdum in nonum usque diem vixerunt, donec inedia illos conficeret. Nonnulli in ipsa cruce petulantes spectatores infra positos conspuerunt. Nonnulli de cruce resumti, in vivis conservati, alii dum viverent, ab avibus sunt discerpti, cum abigere illas non possent. Hinc Catullus de crucifixo.

Effossos oculos vorat atro gutture corvus,
Intestina canes, cætera membra lupi.

Interdum enim crux ita humilis erat, ut à bestiis contingi possent, sed nec rarò ad maturandam mortem vel ad explorandam in cruce, lanceis sunt transfixi. Hinc in Martyrologio Romano Fabianus Judex jubet duos Martyres, qui per diem & noctem pependerant, lanceis per latera verberari, quod & Servatori nostro contigit. *Crurifragium* quod attinet, sunt qui crucifixis omnibus crura fracta autumant, cum

latronibus cum Christo crucifixis, tale quid contigerit. Fuit quidem olim crurifragium commune supplicium servorum, sed in cruce non usitatum, nisi cum Judæis. Ratio erat, quod Deus Deut. XXI. justisset, *suspensos ante Solis occasum de Cruce deponere*, sed deponere non licebat, nisi mortuos. Ut igitur mors acceleraretur, Judæi popularium suorum crura frangebant, ita quidem ut tibias crucifixi super incudem ponere, postea malleo validisque ictibus crus frangerent. Gentiles autem maleficos in cruce relinquebant, donec tabo diffluerent. Hinc Tertullianus lib. de anima refert, Polycratis filiam somniasse, Patrem suum â Sole unctum & â Jove lotum, vel fore ut Pater â sole & pluvia consumeretur. Rarò contigit inter Ethnicos, ut quis de cruce deponeretur, nisi forte natalis Cæsaris aut dies aliquis festus intercederet. Imò ne deponi possent, sub cruce custodia militum stetit, teste Plutarcho, in crucifixo Cleomene. Talis custodia sub Domini quoque cruce stetit, quam postea Pilatus ad custodiendum Domini sepulchrum ablegavit, Matth. XXVII. Fuit hactenus Vulgaris Crucifixio qua etiam Christus sublatus. Rara autem fuit *furca*. *Furca* apud Veteres erat multiplex, interdum enim servus sub furca non spectaculi ergo, sed cum verberibus duci solebat, adeo ut mors plerumque consequeretur. Nec raro in furca, quæ erat instar jugi boum, prisci maleficos laqueo strangulabant. Quod ad modum crucifigendi attinet; Extraordinarius fuit, cum aliquando homines inversos, capite deorsum, pedibus sursum, suspenderent. Quô genere mortis ipse Apostolus Petrus sublatus, fuitque Martyribus frequens hoc supplicium teste Eusebio lib. 8. c. 8. Interdum obliquos super crucem posuerunt, teste Plutarcho in Artaxerxe. Sæpe inter duos palos manibus pedibusque expansis maleficos alligabant. Interdum

terdum inter duas arbores ſuſpendebant, poſtea reductis arboribus medios ſcindebant, quale ſupplicium de S. Corana ſumtum. *Ratione finis* alii in crucem agebantur ideo, ut per ipſam Crucem morerentur, quo fine crucifixus Salvator. Alii ideo ut in cruce aliis ſuppliciis tollerentur. Sæpe enim Crucifixi flammis & fumo necabantur. Imo primi in Eccleſia martyres ſub Nerone dicti ſunt ideo *Semiaxii*, propterea, quod in ſtipite qui erant inſtar axis, affigerentur. Et *Sarmentilii* dicti ſunt, à Sarmentis, quibus in ſtipite iſto cremabantur. Alii ideo in crucem dati, ut à beſtiis lacerarentur, quæ res inſpectaculis crebra. Hinc eſt illud Martialis Spectaculorum libro Epigr. 7.

Nuda Caledonio ſic pectora præbuit urſo;
Non falſa pendens in cruce laureolus.

Interdum mortuos quoque crucifixerunt. Ita enim Julius Cæſar pyratas à quibus erat captus, poſtea ſui juris factos decollari fecit, poſtea crucifigi, teſte Svet. c. 74. Hos à morte ſuffixos, Ægyptii excoriare ſolebant, teſte Johanne Leone in itinerario ſuo. Denique non homines tantum ut cadavera, ſed etiam imagines maleficorum in cruce ſuſpendere ſolebant, autore Pollione, in 30. Tyrannis. Sed plura de his apud Juſtum Lipſium, eruditis tribus libellis, de Cruce, videantur; Quibus omnino addi meretur B. Calixti Appendix de vera forma Crucis Dominicæ, ab hodierna, qualis in Templo vulgò conſpicitur multum diverſa.

ACCVBITVS ad MENSAM.

Luc. XXIII. v. 29.

AMplitudinem Gentium commendaturus Salvator, *multi* inquit, *ab Oriente & Occidente venient, & cum Abrahamo, Iſaac & Jacob accumbent*, quin & *in ultimâ cœnâ Johannes*

nes ad pectus JEſu accubuiſſe dicitur, quod cum pictores non intelligant, Deum apoſtolis menſa aſſidentem, & Johannem amplexantem vulgo pingunt. Quin & porro ad veterum accumbendi morem Dominus reſpexiſſe videtur, cum *Lazarum in ſinum vel ad pectus Abrahæ delatum eſſe* refert. Quæ ut recte intelligantur, ſciendum eſt, Veteres ad menſas olim non ſediſſe, ut hodie ſolemus; ſed ad menſas in lectis, quos Triclinares vocabant, recubuiſſe, & jacentes cibum ſumpſiſſe. Accumbebant autem ſuperâ corporis parte in cubitum ſiniſtrum declinata, parte infera in longum porrecta, ſed dorſum à pulvillis erat modice ſuffultum, & in iisdemque caput jacebat. Si plures uno lectu diſcumberent, primus ad caput lecti jacebat, pedesque pone dorſum ſecundi porrectos habebat. Secundus in eodem lecto occiput ad umbilicum primi poſitum habebat, interjecto pulvillo, ſed ejus pedes poſt tergum tertii jacebant, & ſic deinceps. Is qui ad caput lecti recumbebat, vocabatur *Summus*, qui ad pedes ſecundi, vocabatur *Primus*. Inter hos medius erat & hujus locus erat honeſtiſſimus, huic proximus erat Summus. Quæ omnia in Antiquitatibus Roſini copioſius videantur. Quærat hic quis unde & quando hic Veterum mos accumbendi ad menſam cœperit? Exiſtimant alii, â Romanis hunc morem *Judæos* didiciſſe, cum ipſe Philo Judæus in libello de Vita contemplativâ affirmet, Triclinia & lectos, adeoque totum menſæ apparatum, ab Italis ad Judæos tranſiiſſe, quin & ad Græcos, Ægyptios aliosque Orientis populos. Sed non videtur Philo, dicto loco de accubitu ipſo, ſed de ejus luxu, loqui, quem Judæos à Romanis accepiſſe non diffitemur. Sed ipſius Accubitus origo, paulo altius imo ab ipſa ferè mundi origine, videtur petenda. Nam primos homines commeſturos aut ſtetiſſe, aut in genua accubuiſſe, aut ſediſſe, aut jacuiſſe oportuit.

Stetiſſe

Stetiſſe autem & genibus flexis comediſſe, nemo facile dixerit. Si ſederunt, vel noſtro more ſederunt, ſed hoc rudi illo ſeculo fieri non poterat, cum nondum menſæ, ſcamna, ſedilia haberentur. Dicas humi ſediſſe, ſed omnibus illis modis, quibus ſedere aliqnis humi poteſt, ſive porrectis ſive implicitis tibiis, commodior eſt cibum ſumentibus poſitura jacentium, & cubito ſiniſtro innitentium. Hinc non dubito ipſos Protoparentes ad ſumendum cibum ſuper gramina ac fœno ſeſe reclinaſſe, poſtea pelles ex lana addiderunt, de quibus Ovid.

Qui poterat pelles addere, dives erat.

Poſt illa loco pellium inventi ſunt lecti, menſæ, ſedilia, ſcamna & tunc quoque ſedendi ratio, qualis hodie obtinet, fuit adinventa, & æque ac mos accumbendi recepta. Hinc Veteres non ſemper legunrur accubuiſſe, ſed interdum ſediſſe. Sic Gen. XLIII. v. 33. *Fratres Joſephi in convivio ſediſſe dicuntur*, molliores tamen gentes accumbere in lectis maluerunt. Atque hunc morem in Dei populo, non tantum Chriſti & Apoſtolorum tempore; ſed & ſub V. T. viguiſſe ex ſacris palam eſt. Memorabile eſt dictum in Amos, ubi Propheta invehitur in fœneratores, qui juxta altaria, ſuper veſtimentis pro pignore acceptis accumbant. Rabbi Salomo per has veſtes non malè intelligit lectos triclinares, quos in templis epulaturi ſubſternere ſolebant. Latini pro accumbere elegantter dixerunt, fulcire: Ita enim Perſius:

Mihi toſta cannabe fulto
Cœna ſit in tranſtro.

Hinc Philo de Eſſenis ſcribit, quod ad menſas viles lectos habuerint, paulo eminentes ſuper cubitos, ut in iis fulcire poſſint. Obſervandum enim eſt, Veteres non toto corpore accubuiſſe, ſed paululum erectos, lectisque ſub cubito ſuffultos, qui ſitus nec eſt plane ſedentis, ſed nec planè jacentis,

centis, ideo, quod latini dixerunt, fulcire, hoc Ebræi non minus eleganter dixerunt, *in lectis ſedere*. Locus egregius Ezech. XXIII. 42. Ubi delicata quædam mulier deſcribitur, quod in magnifico lecto ſederit, & menſam ante ſe inſtructam habuerit.

ARCHITRICLINUS.

Joh. II. v. 8.

CUm Salvator nuptiis Canæ Galilææ, primitias miraculorum *aquâ in vinum mutata* edidiſſet, *juſſit miniſtros, ut vinum ex aquâ factum ad Architriclinum deferrent.* Quis olim Architriclinus fuerit, ex Antiquitatibus peti oportet. *Triclinium*, unde nomen eſt *Architriclinum*, erat cœnaculum vel maſſa trium capax lectorum & novem convivarum, nam in ſingulis lectis terni ad menſam accumbebant, & novenarius legitimus erat convivantium numerus. Huic Triclinio præfectus erat Architriclinus, cujus officium Jeſuita Maldonatus Eccleſ. 32. his verbis deſcribi putat: *Rectorem te conſtituerunt, cave ne extollaris.* Ad quæ verba Vatablus ſic commentatur. In conviviis Orientalium mos fuit, ut vir magnæ autoritatis â convivis deligeretur, vel per ſortem conſtitueretur, qui convivio præeſſet. Hunc Græci Sympoſiarchum, Latini ſummum convivii Magiſtrum, vocarunt, prout etiam Cicero in libro de Senectute hanc convivii rationem magiſterium dixit, ſed alia mens eſt Caſaubono, qui exercitatione 13. c. 19. exiſtimat verba Siracidæ, de Architriclino accipi non poſſe. Rationes ejus dicto loco videantur. Quicquid de eo ſit, certum eſt, apud Græcos, Romanos aliosque cultiores populos moris fuiſſe, ut præcipuus ê convivis deligeretur, qui convivio præeſſet, à quô *leges conviviales* darentur, & *certa bibendi ratio* præſcribe-

ſcriberetur. Horum convivii præſidum munera recenſuit Athenæus lib. 10. Hic vocabatur οἰνόπτης item ἀρχοινόχος vel Primicerius pincernarum, teſte Plutarcho in vita Alexandri, item ὀφθαλμὸς vel oculus convivii, quia inſpector Prudentius Hymno contra Cathem Architriclinum regem dixit hoc verſu 28.

Cantharis infuſa lympha, fit Falernum nobile,
Nunciat vinum miniſter eſſe promtum ex Hydria:
Ipſe Rex ſapore tinctο obſtupeſcit poculis.

Rex dicitur, quod totius Convivii apparatum regeret. B. Luth. reddidit der Speiſemeiſter / quod in Convivio curam penus & victualium gereret. Præter hunc in Conviviis veterum alia officia dabantur. Erant enim carptores machiri, ſectores vel Diribitores ciborum, &c. quos recenſet Juſtus Lipſius lib. 2. Saturnal. c. 2.

SVPPLICIA JVDÆORVM.

Matth. XIIX. 6.

PLerique qui de Rebus Judaicis ſcripſerunt, in eo conſentiunt, quod apud Judæos *quatuor ſuppliciorum genera* fuerint. 1. *Strangulatio* vel *ſuffocatio*, quibus reus in fimum mergebatur usque ad genua, ejusque collum rudi linteo obvolvebatur, quod a duobus huc & illuc trahebatur, donec miſer juſtitiæ & naturæ ſatisfeciſſet. Hoc ſupplicii genere Hiob affici petit, modo calamitatum finem ſpectet. Job. VII. 15. 2. *Decollatio*, qua malefici caput trunco appoſitum, gladio vel ſecuri abſcindebatur. 3. Erat *Lapidatio*, quo ſupplicii genere Protomartyr fuit ſublatus. 4. Denique erat *Vivicomburium*, ſuppliciorum omnium acerrimum. His ſuppliciis alii 5. addunt, quod καταποντισμὸν ſubmerſionem vocant, de qua Chriſtum dicunt locutum Matth. XIIX.

6. his verbis: *Væ homini, per quem ſcandalum venit, melius erat huic homini, ut mola aſinaria ſuper collum appenſa, in profundum maris demergeretur.* Scribit ad hunc locum Hieronymus: *Chriſtus ſecundum morem Provinciæ loquitur, quia majora crimina Judæi ita plectere ſolebant, ut ligato ſaxa hominem in profunda demergerent.* Recte addit Druſius hujus rei fidem penes Hieronymum eſſe. Nam inter ſupplicia Judæorum nunquam fit demerſionis mentio lib. 1. Præt. Eo tamen non obſtante Caſaubonus notis in N. T. ſcribere non dubitat, καταποντισμὸν apud Græcos & Ebræos in uſu fuiſſe, ſed hoc diſcrimine, Judæos ſubmergendos, ad ſaxum alligaſſe; ſed Græcos in vas plumbeum eos injeciſſe. Equidem fateor, quæ de Græcis h. l. dixit, ea ex Athenæo recte probat, ſed de Judæis cum ſaxo demerſis, ne unicum quidem teſtem ex Antiquitate producit. Exiſtimo vero Salvatorem, per καταποντισμὸν non intelligere ſupplicium Judæis, ſed Ethnicis uſitatum, ut auditores ſuos eo magis terreret, & a dandis ſcandalis averteret.

SEPVLCHRA JVDÆORVM

HIſtoria Sepulchri, in quo Chriſti corpus fuit repoſitum, variis difficultatibus implicatur, quas nemo ſolvet, niſi ex Antiquitatibus Judæorum formam ſepulchrorum cognoverit. Scribit Rabbi Samuel, Judæis olim recepum, ut non ſinguli ſeorſim a ſuis ſepelirentur; ſed ut tota familia in una ſpelunca conderetur, ita tamen ut ſinguli defuncti in ſeparatis foraminibus ejusdem ſpeluncæ collocarentur. In Thalmude lib. 3. part. 4. traditur, hoc jus apud Judæos obtinuiſſe, ut ſi quis monumentum ab aliquo emeret, venditor teneretur excavare cavernam in petra, & in eadem facere foramina octo, juxta alios 13., in quibus ſingulis

lis corpora reponi poſſent, imo ante os ſpeluncæ faciendum fuiſſe atrium, cujus vicem in ſepulchro Chriſti hortus ſubiit Joh. XIX.

SEPVLCHRVM CHRISTI.

SEpulchrum Chriſti ſcribitur Matth. XXVII. 16. *in petra vel ſaxa inciſum fuiſſe*, cujus rei ratio ex ſitu Hieroſolymitanæ urbis petenda eſt. Nam tota Hieroſolyma, ut Strabo loquitur, erat, ἐμπετρος, intus ſaxoſa. Exiſtimat quidem Baronius, veterem morem condendi corpora fidelium, in cryptis fornices ſuſtinentibus, a ſepulchro Domini oriundum. Sed nobis hoc non fit probabile. Nam Judæorum ſepulchra ſuper ſoli ſuperficiem non exſtabant, ſed in cavernis petrarum erant, ad 7. cubitorum altitudinem excavata. Sed Chriſtianorum ſepulchra ſupra terram aggeſto cumulo eminent. Imo S. Cyrillus Hieroſolymitanus inter Chriſti & Regum ſepulchra hoc diſcrimen agnoſcit, quod Pyramides in Ægypto aliaq; ſecularium Principum ſepulchra ſupra terram fuerint exaggerata, ſepulchrum Chriſti non item. Unde etiam Chriſtus ſepulchrum vocat, *foſſam ſubterraneam.* Euſebius vocat *Antrum*, ſcribitque Ethnicos ſuper Chriſti tumulum aggerem excitaſſe, quin & Templum Veneris condidiſſe, ut Sacer ille locus promiſcua Venere pollueretur.

PROSELYTI.

Actor. II. 11.

JUdæi varie, præſertim *trifariam* dicuntur. (1) *Strictiſſime* cives Hieroſolymitani & Palæſtinæ, qui in decem Toparchias erant diviſi, in quarum medio urbs ſacra velut

ſumbilicus in clypeo eminebat. Cum Judæi per orbem dispergerentur, ſoli Hieroſolymitani, volebant genuini Judæi videri, atq; in hac hæreſi eſt ipſe ſcriptor rerum Judaicarum peritiſſimus Joſephus. (2) *Latius* dicuntur Judæi, qui ex ſemine Abrahæ erant verè nati & circumciſi, ubicunque locorum degerent, ſivè Hieroſolymitani, ſive Galilæi, ſive Alexandrini, ſive Babylonii eſſent, imo omnes qui olim vocabantur & adhuc ſunt οἱ ἐκ Διασπορᾶς, hoc eſt, ex Diſperſione. 3. Judæi dicuntur *latiſſime*, qui non tantum in Palæſtina habitarunt, nec ex ſemine Abrahæ fuerunt oriundi, ſed omnes quotquot ex gentilibus ad Judaismum ſe contulerunt, & ad communionem Sacrorum Judaicorum erant quacunque ratione admiſſi. Hos vulgo vocarunt *Proſelytos* ἀλλοφύλους Helleniſtas, alienigenas, adventitios. Sicut enim hodie Judæum & Turcam converſum, *Chriſtianum* dicimus, licet originis Chriſtianæ non ſit; ita pro Judæis habiti ſunt Ethnici ad Judaismum converſi. Quanquam verò hi Proſelyti cum natis Judæis æqualia jura habebant, nihilo tamen minus in vulgus viliores habiti ſunt, non quidem de jure, ſed ex malevolentia & invidiâ. Imo proverbium eſt inter Judæos quo ſe invicem jubent, *ad 10. usque generationem a Proſelytis cavere.* Verum hæc & ſimilia ex quâdam æmulatione & invidia dicuntur. Nam de jure Divino Proſelyti & Judæi ſunt æquales, quamvis in Jure Divino hoc fere unicum fuerit diſcrimen, quod Proſelytus in Synedrium vel Concilium magnum cooptari non potuerit. Prima Proſelytorum mentio in ſacris fit Exod. XII. v. 19. ubi προσήλυτος vel Alienigena, & αὐτόχθων vel indigena, diſcernuntur quidem, ſed ex æquo & huic & illi commeſtio agni Paſchalis imponitur, qui cultus Judaismi fuit proprius. In N. T. agmen Proſelytorum duxit Rex Herodes, qui ex Idumæis ad Judæos tranſierat. Hinc adhuc Rabbini Regnum

Hero-

Herodianum, regnorum Proselytorum, & ipsum ad Judæos transitum ἀλλοφυλισμὸν vocant. Erant porro inter Judæos *duo Proselytorum genera.* Alii *Proselyti portæ*, alii *Proselyti justitiæ. Proselyti portæ* erant, qui relicta idololatria in unum Deum Israelis credebant sub specie venturi Messiæ. Hi non erant circumcisi, nec ritibus Mosaicis adstricti, ideo autem Proselyti portæ dicuntur, quod non cæteri Judæi ad templum peregerent, & atrium laicorum intrarent. His intrare non licuit, sed ante portam atrii expectare oportuit. Talem Proselytum portæ putant nonnulli Cornelium Centurionem Act. X. fuisse, cum ipse Petrus eundem Alienigenam dicto loco appellet. Sed *Proselyti justitiæ* erant, qui non tantum idola reliquerunt, in unum verum Deum credebant, & venturũ Messiam sperabant, sed præterea circumcisi erant, quo ritu semetipsos, universæ legi Mosaicæ observandæ obstrinxerant. Talem fuisse dicunt S. Hiob. Fiebat olim Proselytus justitiæ his tribus modis (1) *Circumcisione.* (2) *Baptismo.* (3) *Oblatione* sive *Sacrificio.* Circumcisio erat signum fœderis Abrahamici, in quod recipiebantur. Baptismus requirebatur ad munditiem, quod Judæi gentiles omnes pro immundis haberent, qui ritus est apprimè notabilis, cum inde constat, baptismum inter Judæos receptum, antequam Christus institueret, eoque ritu novæ legis Proselytos faceret. Oblatio denique vel Sacrificium requirebatur ad placandum Deum, ad quem Proselytus se convertebat. Hodie cum Templum sit excisum, Oblatio nulla requiritur à Proselyto. An adhuc Baptismus adhibeatur, fateor me nescire. Scio autem quod Vulgo dicant *Proselytum facit circumcisio.* Sed & hoc non minus notari meretur, quod sub tempore V.T. ingens numerus Proselytorum fuerit. Legimus enim de Salomone, quod Proselytos numerari fecerit, & inter Judæos invenerit 150000, & 3600, quos

Salomo

Salomo in fabrica Templi, partim bajulos, partim lapicidas constituit 2. Paral. II. 17. Cum quanto denique studio Pharisæi tempore Christi dederint operam, ut Proselytum facerent, docet Salvator Matth. XXIII. v. 15.

REMPHAN.

Act. VII. 41.

PRotomartyr S. Stephanus in sua invectiva, qua Judæis varia suorum majorum crimina objicit, inter alia ex Amos V. 26. hoc dictum allegat: *Bajulastis Tabernacula Moloch, & Sidus Dei vestri Remphan.* Quid Monstri Remphan? Ubi terrarum hic Deus cultus? Quis scriptor unquam hujus idoli meminit? *Alii* existimant hoc nomine eandem idololatriam quam Jerem. XLIV. 17. tangit, reprehendi, ubi Propheta in mulierculas invehitur, quæ Reginam cœli *Melechet* placentulis oblatis colebant, quippe quæ cum idolo Moloch ejusdem sit originis. Alii quod in Propheta Amos redditur *Sichubt* exponunt tutelam, quod hic Deus cultores suos securos faciat. Ejusdem sententiæ est B. Lutherus qui ad verba Amos sic scribit: Es lautet aber gleichwohl/ als sey es ein Gottesdienst gewesen/ den sie Sichut das ist Hut/ Schutz/ Schirm genennet &c. *vid. ibid.* Circa idolum *Remphan* hactenus Viris doctis conjectura Drusii placuit, qui putavit & Christum, cujus amos meminit, facile fieri potuisse *Remphan* cum apud Ebræos ב & ר sint literæ ὁμοιόβολοι. Equidem existimo nominibus illis omnibus *Moloch, Melchet, Chiam, Suchus, Remphan*, unum idemque idolum denotari. Nam qui apud Persas & Turcas *Caliphan* dicitur, hic apud Ægyptios vocatur *Remphan* vel *Saturnus*, quod ex variis Arabum monumentis, Ludovicus de Dieu probat. Putant ergo nonnulli quod LXX. inter.

interpretes (nam hi in græca ſua verſione per *Chium* reddiderunt *Remphan*) in gratiam Regis Ægptytii, a quo erant conſcripti, voce Ægyptiis familiari, hoc idolum exprimere voluerint. Ex verſione enim LXX. interpretum S. Stephanus accepit & concioni ſuæ inſeruit. Itaque ſub nomine *Remphan* Judæi reprehenduntur, quod relicto vero Deo, Saturnum primarium Planetam aliasque ſtellas & ſydera adoravarint.

ΝΕΩΚΟΡΟΣ.

Act. XIX, 35.

CUm Epheſi, ob doctrinam Pauli Eccleſia confuſa eſſet, tandem Cancellarius ſurrexit & habita ad populum oratione, hæc inter alia dixit: *Quis neſcit Viri, Epheſum eſſe νεωκόρον magnæ Dianæ?* Hoc loco Viris Doctis mens fixa eſt, quid ſibi velit νεωκόρος. Alii exponunt coloniam, quod Epheſus in colonia ſua receperit Dianam. Aliis νεωκόρος idem eſt, quod devotus numini majeſtatique Dianæ, quod nimirum Diana urbis Patrona eſſet. Alii putant mendum ſubeſſe, & legendum νεώκλητος vel nuper conditum. Quod circa hæc tempora, Templum Dianæ Epheſinæ unum ex ſeptem miraculis mundi renovatum eſſet. Caſaubonus refert, Epheſi geminum templum fuiſſe, alterum Auguſto, alterum Julio ſacrum, quorum alterum fuit dictum νεωκόρος, idque ex antiquis marmoribus & numiſmatibus probat. Seldenus cenſet, νεωκόρος fuiſſe dictas παντηγύρεις πενταετηρικὰς vel certamina quinquennalia. Nos vero non dubitamus, vocem νεωκόρος exponere ædilem vel ædituum, moti autoritate Syriaci interpretis, qui ſubſtituit vocem quæ idem ſignificat ac ædituum vel ſacrum antiſtitem, quin & in vetuſto Gloſſario legitur: Ædilis eſt ἀγορανόμος & ædituus νεωκόρος.

Erat autem officium ædituí curam templi gerere, vaſa ſacra curare, & honorem numinis tueri; Hinc interdum integræ urbes, earumque cives νεωκόροι ſunt dicti, quod ædium ſacrarum cuſtodes, & perenni cultu ac ſervitiis ædituando officium νεωκόρων præſtarent. Recte ergo Cancellarius Epheſum νεωκόρων h. e. ædituum vel templi cuſtodem vocat, quod Epheſini ſtatuam Dianæ cælitus delapſam, (ut ajebant,) ſuperſtitioſe cuſtodiunt.

SECTIO II.

Antiquitatum Novi Teſtamenti

ex

EPISTOLIS.

ANATHEMA VETERVM.

Rom. IX, 3.

VAs illud electum S. Paulus magnitudinem amoris ſui erga Judæos populares volens oſtendere ita loquitur: *Opto Anathema a Chriſto pro fratribus meis.* Quo loco verbum *Anathema* tanquam rituale & rationis, ad quos hæc ſcribebat bene cognitum, uſurpat, ut indicet, Judæos a ſe tantopere diligi, ut ſalutem ipſorum ſua morte redimere non dubitet. Ubi diligenter & accurate notanda eſt diſtinctio ἀνάθεμα, & ἀνάθημα, quæ quidem Latinis eadem ſunt, ſed quo ad rem multum differunt. Ἀναθέματα enim apud Veteres res ſacræ vocabantur, præſertim homines ſacri, qui quoties imminentis iræ divinæ publica ſigna aderant, averrendæ illius cauſa, publice ad victimas ſemetipſos offerebant,

rebant, & ab omni populo ad hoc ut victimæ expiatoriæ essent, publicè destinabantur. *Massilienses* olim quoties peste laborabant, unum ex pauperibus delicatis cibis pascere, postea verbenis ornare, vestibus sacris induere & per civitatem circumducere, ejusque capiti scelera totius populi imprecari, tandem mactare solebant. Idem ferè mos fuit *Albanis*, qui in publicis calamitatibus, hominem sacris initiatum, reliquis sanctiorem diu servare, sumtuose saginare, ad arcam sistere, denique furiali carmine cum cæteris hostiis immolare solebant. Atque hi propriè erant ἀναθήματα Latinis, *homines devoti*. Plura hujus, ἀνθρωποθύτων legantur in Mythologia Natalis Comitis. His veterum Anathematis vel hominibus devotis, haud absimilis fuit sub Papatu, in hac vicinia nostra *Adam Halberstadiensis*, quem Canonici olim è populo delectum, & aliis nequiorem, die Cinerum Halberstadii tecto capite, atra veste, in templum Mariæ inducere & Sacris admovere solebant. Hic postea per totam Quadragesimam nudipes per omnes urbis plateas vagabatur, & templa visitabat, donec Die Viridum oleo benedicto unctus, ab omni Clero expiaretur, & data Eleemosynâ dimitteretur. Sed hanc Eleemosynam reddere oportuit Templo. Dictus fuit *Adam* ideo, quod quemadmodum Adam ante lapsum sic & homo hic devotus, immunis ab omni crimine redderetur, imò per hunc tota Civitas expiari crederetur. Videatur Alciatus, qui multa de Adamo Halberstadiensi congessit. Sed & inter Ebræos usitatum erat proverbium, ut aliquis diceret: *Ecce me tibi in expiationem*, quæ verba Rambam scribit proferri, ad testandam amoris erga alterum vehementiam eisque indicare, alterum pro altero λύτρον fieri non dubitare, si vel ipsâ vitâ constabit. Præterea observo, non in Synagoga tantum, sed & in primitiva Ecclesia ἀναθήματα fuisse dictos, *homines excommunicatos* &

ab Ecclesia in solidum abscissos, quo sensu intelligendum illud Apostoli, *qui non diligit Jesum sit anathema Maharamota*: quâ formula Anathematis excommunicatio major intelligitur, quâ homo non tantum ab usu S. Cœnæ & à sacris conventibus; sed ab omni fidelium consortio excluditur, & clypeo precum Ecclesiæ & omnium Christi beneficiorum destituitur, & cum anima & corpore in potestatem Satanæ totus concedit. Tale ἀνάθημα putant plerique Theologi ab Apostolo Paulo evibratum in incestuosum, de quo ait: *Tradidi eum Satanæ* 1. Cor. V. v. 5. Quod ad Ἀναθήματα attinet, hæc proprie erant *donaria Numini Sacra, ad parietes, lacunaria vel columnas templi suspensa.* Dicuntur Ἀναθεῖναι quod *duo* significat *suspendere & seponere*, quia res semel Deo dedicatas, easque semel in templo suspensas, ad profanos usus repetere non licebat. Hujusmodi Ἀνάθημα erat *Gladius Gigantis Goliath*, in tabernaculo suspensus 1. Sam. XXI. v. 9. Quin & memorabile est Exemplum in Sacris *Judith*, quæ *omnem suppellectilem Holofernis & Conopeum, quod ex cubiculo Holofernis sustulerat, in ἀνάθημα obtulisse Domino fertur.* Judith VI. v. 13. Quin & in N. T. τῶν ἀναθημάτων fit mentio Luc. XXI. 5. Ubi templum ἀναθήμασι ornatum legimus B. Luth. reddidit: Mit Kleinoden geschmücket. Eundem morem imitati sunt Gentiles, quibus solenne fuit, arma hostibus detracta, in Fanis templorum suspendere, Diisq; manubias nobiliores consecrare. Causa horum ἀναθημάτων erat gemina: altera, ut se gratos Deo exhiberent, cujus beneficio victoriam obtinuerant, vel alias rem bene gesserant; altera ratio erat, ut hæc Anathemata posteris documenta, & ad similem virtutem incitamenta essent, quo Majorum præclarè facta imitarentur. Videatur Justus Ricqvius lib. 28. de Capitolio Romano, ubi variorum anathematum Catalogum exhibet. Sed & adhuc alius mos priori haud absimilis, apud nonnullas

gentes,

gentes, quid? in populo Dei obtinuit, ſuſpendendi arma in publico. Solebant olim milites præſidiarii clypeos, pharetras, aliaque arma, de mœnibus urbium vel excelſarum turrium ſuſpendere, ad incutiendum hoſtibus extra urbem poſitis metum, & ad oſtendendum ſibi ſatis armorum ſupereſſe. Ita de Urbis Tyri Defenſoribus ſcribitur; quod in urbe clypeos, galeas ac Pharetras, in murum per gyrum ſuſpenderint. Ezech. XXVII. v. 19. Hoc ritu obſervato, jam planior fit locus Cant. IV. 4. Ubi ſponſus ait: *Collum tuum eſt inſtar Turris Davidicæ, in qua mille clypei pendent.*

IDOLOTHYTA.

I. Cor. X. 21.

DUm Apoſtolus dicto loco novellos Chriſtianos Corinthi, à comedendis Idolothytis prohibere ſatagit, his inter alia verbis utitur: *Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ Dæmoniorum. Non poteſtis calicem Dæmoniorum bibere & calicem Chriſti.* Ubi *tria* ex Antiquitatibus reſolvenda veniunt. *1. Quæ ſit menſa Domini. 2. Quis ſit calix Dæmoniorum. 3. Quænam Idolothytæ* vocentur. Quod ad primum attinet, notandum eſt, hoc loco Sacram Εὐχαριστίαν omnium primo *Menſam Domini* vocari, unde adhuc ad Sacram εὐχαριστίαν accedere, germanicè vocant; Zum Tiſch des HErrn gehen. Hunc Apoſtolicum morem priſci Patres ſæpe ſequuntur. Hinc Optatus Milevitanus vult Sacerdotes Menſæ Domini miniſtros ideo, quod εὐχαριστίαν conficiunt. Apud Græcos Patres frequentior hujus formulæ uſus. Hinc in Liturgia Jacobi, quæ vulgo fertur, Euchariſtica, dicitur *cœleſtis menſa.* S. Chryſoſt. eandem menſam variis titulis ornat. Vocat enim *menſam Sacram, menſam myſticam, menſam terribilem*, quod in eâ diſtribuantur φρικτὰ μυστήρια h. e.

tremenda myſteria. Verba ejus hæc ſunt: *Ab hac menſa Diaboli formiduloſi ſurgimus, velut Leones, qui ignem ſpirant.* Latini ſæpius pro menſa Domini dicunt θυσιαστήριον vel Altare. Ubi notandum eſt, Apoſtolorum ævo & primis temporibus, tempore peſecutionum, aras fixas & lapide ſtructas, uti nunc eſt, non fuiſſe. Sed primos Chriſtianos poſitis menſis, ſacram cænam celebraſſe, quod ex ipſis Pontificiis, paulo ante reformationem Gabriel Biel, in expoſitione Miſſæ lect. 13. ita confirmat: *à tempore Petri usque ad Sylveſtrem h. e. Seculi 4. Romanos Pontifices in privatis domibus, in Sacra Synaxi ad menſam ſediſſe, donec ligneum altare, quod adhuc Romæ conſervatur, ita fabrefactum, ut ad locum de loco portatile ſit, & de loco ad locum, in quo Epiſcopus delituit, deferri potuerit.* Hanc ligneam menſam Pontificii adeo venerantur, ut nemini niſi Pontifici, in die Cænæ Dominicæ & in Feſto Paſchæ, ſacra ad hanc menſam facere permittantur. Græci hodie quoties Εὐχαριστίαν celebrant, duas habent menſas. Alteram vocant πρόθεσιν, *menſam propoſitionis* der Schau-Tiſch/ in quâ Sacra Symbola *Panem & Vinum* proponunt, antequam conſecrentur, alteram vocant Sacrum βῆμα, h. e. *ſuggeſtum*, quod ſit in loco ſublimiori; ad hanc ſi ſacra Symbola deferuntur, tota Eccleſia ſurgit, eademque capite flexo ad genua veneratur, & in ſublimiori hâc menſa Symbola conſecrantur. Quis ſit Dæmoniorum calix, id nemo rectius novit, niſi qui veteres Gentilium ritus, in Sacris perſpectos habet. Refert eosdem Caſpar Peucerus in egregio Commentario de variis divinationum generibus. *Sacerdos hoſtiam ad altare ducebat, ſtans, altare manu prehendebat, precesque ac vota fundebat, quæ â Jano & Veſta auſpicabatur. Et ne quæ verba præteriret, vel præpoſtere recitaret, erat alius, qui deſcripto, alius cuſtos, qui ſedulo attenderet, alius qui favere linguis populum juberet, aderat & tibicen*

bicen qui caneret, ne quid infausti audiretur, quibus peractis immolabat. Immolatio erat ritus, quo mola salsa, h. e. far tostum & sale conspersum in caput victimæ collocabatur, addito thure. Post immolationem, Sacerdos hostiam vino respergebat, sed antequam vinum effunderat, ex scypho vel simpulo, unde mulieres sacris deditæ Simpulatrices vocabantur, autore Festo, & ipse Sacerdos leviter delibabat, & adstantibus porrigebat, ut & hi libarent, h. e. pausillum vini gustarent, atque hic ritus erat Libatio. Suntque Viri docti in ea opinione per calicem Dæmoniorum quem prohibet, Apostolus intelligi hunc ligneum vel fictile urceolum scyatho similem & Simpulum dictum, ê quo in sacrificiis Dæmonum vinum libari solebat ab omnibus qui Sacris intererant, sive Gentiles sive Christiani essent. Quod ad *Idolothyta* attinet, sciendum est, quod Ethnici peracta libatione soliti fuerint, setas inter cornua victimæ manu evellere, in ignem conjicere atque ad orientem conversi, obliquum cultrum à fronte victimæ ad caudam usque ducere, quô facto ministros jubebant hostias jugulare, qui inde *cultrarii* vel *victimarii* vocabantur. Dum hostia jugulabatur, alii admotis vasculis cruorem excipere, alii victimam excoriare, alii ignem accendere solebant. Cum purgata erat victima, Aruspex vel flamen viscera rimabatur, h. e. explorabat accuratè, quod ominis portenderetur. Singulis inspectis, ministri frustra quædam decisa, farris farina involvere, & in calathis, quæ erant vasa fœminea, sacerdoti offerre solebant; qui hæc frustra foculo incensa comburebat, atque hoc erat litare. Cum quod Diis debebatur conflagrasset, Ethnici qui hostiam obtulerunt, ad epulas & convivia in templis pergebant (quibus in Ecclesia Christianorum *Agapæ* successerunt) atque in his conviviis id, quod de victimis Diis immolatis residuum erat, comedere, laudes Deorum canere, circa aras complodere & pul-

& pulsatis cymbalis choreas in templis agere solebant. Et ad hæc convivia non suæ tantum Religionis consortes, sed & Christianos invitabant, atque inducebant, ut & hi de Idolothytis vescerentur, & è calice, è quo libaverant secum combiberent. Sed cum hæc res infirmis varia scandala præberet, non Paulus tantum in hunc morem comedendi Idolothyta, h. e. carnes de victimis relictas invehitur, sed & in primo Concilio integer Apostolorum Senatus, Canonem intulit, ne quis Christianus Idolothytis vesceretur. Act. XV. v. 20. Ubi eleganter *Idolothyta maculæ Deorum* vocantur.

TRIVMPHVS.

Coloss. II. v. 15.

CHristi glorioſam resurrectionem, ascensionem in Cœlos & sessionem ad dextram Dei Patris commendans Apostolus, elegans simile à Triumphis Romanorum petit. *Exspoliavit*, inquit, *imperia, quæ palam traduxit, & de illis per se ipsum triumphavit.* Ubi notari meretur, quod Triumphus Romanorum ad victoriam Christi, pulchrè referri possit. I. Causa agendi Triumphum, erat *Liberatio ab Hoste. Hinc apud Romanos quoties Dictator, Consul & Prætor (his enim solis triumphare licuit) hostes Romanos docuisset, Victori domum redeunti, cum pompa maxime glorioſa, Romam intrare fas erat. Postea cum Triumphi increbescerent, cautum est Senatus Consulto, ne cui Triumphus decerneretur, nisi quinque millia hostium prostravisset.* Ad eundem modum Servatori nostro Ecclesiæ suæ unico Imperatori & Dictatori perpetuo Triumphus omnino debetur, quippe qui Spirituales totius hominum generis invictos hostes, Satanam, Mundum, Carnem, Peccatum, Infernum & Mortem gloriosè devicit, & in potestatem nostram redegit. II. *Triumphator*

phator Romæ purpurea veſte, auro intexto picta, quam extra hæc ſolennia nemini geſtare licuit, laureâ coronatus, ſiniſtra ſceptrum eburneum tenens, pallio aureis ſtellis micante indutus, ſublimi currui inſidebat, quo ſplendore, oculos omnium in ſe convertebat. Sic & Salvator in cœleſti ſuo Triumpho, cum ab inferis prodiit, longè refulſit clarior, atque adhuc refulget magis, quam aut lingua aut mente humana concipi poſſit. Ex tumulo enim corpus glorioſum & clarificatum & ſole illuſtrius retulit, cujus vel umbram Diſcipuli in monte Thabor ferre non poterant, imò tam ſplendidus eſt hic amictus Chriſti, ut pulchritudinem ejus Sol & Luna mirentur. III. *Triumphator, Romæ amplisſima ſpolia inter milites diſtribuere & convocato Senatu Populoque Romano, in univerſum ſæpe populum munificus eſſe, regia munera conferre, nummos novos ſpargere, vel in ſpectacula & ludos profundere ſolebat.* Similis munerum diſtributio à Chriſto reſurgente eſt præſtita, quod emphatice dudum prædixerat Pſaltes: *Aſcendiſti in altum, captivam captivitatem duxiſti, dona pro hominibus accepiſti* Pſ. 68. v. 19. Quin & *avunculus Meſſiæ Eſaias*, prænunciaverat, *ſub Meſſia fore gaudia, qualia ſunt inter milites cum ſpolia dividunt.* Eſ. IX. v. 3. IV. *In Romanis Triumphis erat receptum, ut exuviæ ſpecioſis plauſtris vecta, tituli victarum gentium, captarum urbium & arcium Imagines è ligno fabrefactæ, in publica pompâ oſtenderentur; imo captivi ipſi (inter quos ſæpe Reges & principes,) catenis conſtricti, ante Triumphantis currum decerentur, quos populus ſalſe irridebat, quin & coronæ aureæ ab hoſtibus relatæ, monſtra & rara animalia, Romæ nunquam viſa, in Triumpho ducerentur.* Simile quid triumphanti Chriſto accidit; hinc jam jam ajebat Pſaltes de Chriſto: *Captivam captivitatem duxiſti;* & Apoſtolus eodem quod jam exponimus dicto ſcribit; *In Chriſti Triumpho hoſtes palam traductos.* Nobis jam licitum

citu n est terribiles olim hostes Sarcasmis & cachinnis excipere, & cum Apostolo dicere: *Ubi nunc ô Mors stimulus tuus? ubi tua ô Infernus Victoria ê* V. *Cum triumphalis pompaper Urbem procederet, Templa omnia Romæ aperiebantur, & coronis ac suffitu thuris replebantur, & nemini non introgredi erat permissum. Interea Triumphator hostes ad perpetuos carceres ablegabat, vel capite plectebat, postea Capitolium ascendens, manubias ad auream coronam in signum gratitudinis Jovi Deorum Patri consecrabat. Hecatombas offerebat, in quibus victima præcipua bos erat. In eodem Templo splendidum Convivium apparebat, ad quod proceres Urbis vocabat.* Hæc omnia ad ascensionem Christi, *quà Cœli omnes nobis sunt aperti*, ad Ecclesiam Sacrificia laudum & thura precum Deo offerentem, ac Diabolos æternis tenebrarum catenis jam vinctos, & *ad cœleste convivium, ad quod multos ab oriente & occidente venturos*, Christus prodidit Luc. XIII. v. 29. non sine fœnore accommodari possunt. Deniq; VI. *Triumpho peracto, per vicos & domus totius urbis, carmina triumphalia canebantur, suavi tubarum & tibiarum concentu, magna civibus lætitia creabatur. Et ut verbo complectar, nunquam fuit Roma bilarior, quam si Triumphus ageretur.* Hæc nos omnes Officii nostri, quoties Triumphum Summi Regis contemplamur, pie admonent.

OSCVLVM SANCTVM

Rom. XVI. v. 16. 2. Corinth. XVI. v. 20.

Quot osculorum modi apud veteres.

IN Sacris literis, præsertim in N. T. Osculi, imprimis Sacri mentio fit creberrima. Operæ igitur pretium erit, varios osculandi modos ex Antiquitatibus referre, quorum *Primus* est communissimus, dum Osculum figitur ore adulterius labia admoto & leniter appresso, de quo Salomo Prov. 24. v. 26.

v. 26. Quæ verſio rectè reſpondet, *Labia oſculatur*. B. Lutherus ſenſum dicti eleganter reddidit, Eine freundliche Antwort iſt wie ein Kuß. Quin & ab hoc ritu, Sponſa Chriſti Cant. Cant. 1. 2. A Sponſo ſuo Oſculum oris petit. In hoc modo oſculandi iterum geminus Veterum erat mos, alius *Virorum*, alius *Fœminarum*. Viri enim ſibi invicem oſculum daturi, alterius mentum vel barbam apprehendere ſolebant, quod ex ipſis Sacris literis exemplo Joabi Amaſam oſculantis, 2. Sam. XX. v. 9. conſtat. Quæ conſvetudo nec Ethnicos latuit. Hinc Cicero Orat. 4. Verrina in Statua Herculis, ob crebra oſcula mentum attritum fuiſſe ſcribit. Fœminæ autem / ſive daturæ ſive accepturæ, genas tangere ſolebant. Hinc Euripides in Hecuba ſcribit: *Ulyſſem oſcula daturum, Hecubæ genas tetigiſſe*. Solebant ſecundo manum dextram oſculari, qui mos & in Dei populo & apud exteros fuit creberrimus, præſertim in divino cultu. Ethnici enim quoties templum præteribant, vel ſacrum tignum vel lapidem videbant, eminus ſtabant, quod iis propius accedere timerent. Poſtea dextram Idolo porrigebant, eamque ad os relatam, demiſſo capite oſculabantur, & rogabant, ut ſibi faverent. Hujus moris veſtigia in ipſis Sacris literis legimus, ubi memoratur *oſculum Baaliticum* 1. Reg. XIX. v. 18. *Oſculum vitulorum* Hoſ. XIII. v. 2. *Oſculum Solis & Lunæ* Job. XXXI. v. 26. Turnebus obſervat, Veteres in portis urbium, idola ſtatuiſſe, quæ intrantes & exeuntes & data dextra ſalutabant, manu poſtea ad os relata: Hinc Lucretius:

Mentum viri tangunt.

Fœminæ Genas.

Oſculum Idolor.

manus ad os relata.

Tum portas propter ahena
Signa manus dextras oſtendunt attenuatas
Sæpe ſalutantum tactu præterque meantum.

3. Sed nec raro Labium ad oſculum conformare ſolebant, quoties abſentibus oſcula, quaſi tranſmittere vellent. Hinc Tertul. in Apolog. c. 16. de Ethnicis ſcribit: *Vos affectu cœleſtia*

Oſculum Solis.

Oſculum Principũ.

Oculos. Cervic. Manu.

genua pedes.

Sanctio Oſculi pedalis.

Reges Perſarũ.

Oſcul. Sacerdotum

leſtia *adorandi, labia ad Solis ortum vibratis. Sed Deus hunc morem prohibet* Deut. IV. v. 19. Ex Veteri illo ritu oſculandi Deorum vel proprias manus, in ſignum religioſi cultus, ſine dubio fluxit conſvetudo oſculandi manum Principis, de qua Epictetus lib. 1. c. 19. *Omnes*, inquit, *novo Præfecto gratulantur, alii oculos, alii cervicem, ſervi manum ejus oſculantur.* Et Pierius in ſuis Hieroglyphicis: *Mos eſt*, inquit, *Magnatibus, ut quos in Clientelam recipiunt, illis in ſignum gratiæ manum oſculandam porrigant.* Hinc jam lucem accipit, quod de Abſalone legitur 2. Sam. XV. v. 5. *quod ſub porta omnibus ingreſſis manum oſculandum dederit*, ut hoc modo in gratiam populi ſe inſinuaret. Verum his terminis oſculandi ratio nondum fuit concluſa. Nam Potentum inſolentia ad oſcula genuum, ipſorumque pedum fuit progreſſa. Ita Seneca ſcribit: Jul. Cæſar. Pompejo in gratiam recepto, ſiniſtrum pedem oſculandum præbuiſſe, & Ammianus Marcellinus lib. 28. rerum geſtarum refert: Cæſares genua adulatoribus ſuavianda obtuliſſe. *Primus autem omnium fuit Diocletianus qui oſculum pedis publico edicto ſanxit*, in quem finem in calceis ſuis gemmas illuſtres fecit, ut populus illius pedes libentius oſcularetur. Teſte Eutropio lib. 9. c. ultim. Interim Imperatores Romani non fuerunt primi, qui oſculum pedum admiſerunt. Nam dudum ante Cæſares, nempe in Oriente apud Reges Perſarum hic mos obtinuit, teſte Xenoph. lib. 7. Quin & ex antiquiſſimo ritu ipſi Reges oſcula pedum Diis detulerunt, hinc Prudent. ſcribit, quod *ſoliti fuerint auguſtum caput ante pedes curvare Minervæ, & Soleas Junonis lambere.* In Veteri Eccleſia, progreſſu temporis, tanta fuit Sacerdotum reverentia, ut Chriſtiani horum quoque pedibus oſcula dederint: quod poſtea ſanctè obſervarunt Romani Pontifices, qui in hunc usque diem pro reverentia ſedis Apoſtolicæ, ut loquuntur, ſalu-

salutantibus ipsis Regibus & Imperatoribus pedes osculandos porrigunt. Primus fuit *Constantinus Papa*. A. C. 710. qui â Justiniano Imperatore osculum pedum admisit. Tuentur hodie Pontificii hanc Papæ superbiam, exemplo Christi, qui & ipse à magna peccatrice osculum pedum dare sibi passus est. Sed non esse Pontifices hac in re imitatores Christi, docet Polydorus Virg. l. 4. de Inventone Rerum c. 13. Sed nondum hic ambitio magnatum substitit. Nam apud Persas lege cautum erat, ne quis ad Colloquium cum Rege admitteretur, quin ipsum pavimentum regio pede calcatum antea oscularetur. Quod Martialis vocat, *Solia basiare Regum*. Hoc pavimenti vel soli osculum qui dabant, toto corpore humi prostrati jacebant, ideoque Ennius dixit: Hos cubitis vel genibus terram pinsere. Sed & hujus moris vestigia in Sacris legimus, Es. XLIX. v. 23. ubi Propheta prædicit, *fore ut Reges terræ pulverem Ecclesiæ tingant*, h. e. Ecclesiam osculentur, ejusque Majestatem adorent. Denique notandum est, Osculo genarum, Oris vel oculorum, communiter amplexum innui, ita quidem, ut, qui convenirent vel ab invicem discederent, dum osculum dabant, manibus alterius collum vel humeros stringerent, interdum quoque alterius aures utraque manu comprehenderent, ut videre est Gen. XXXIII. v. 4. Tob. VII. v. 6. Luc. XV. v. 20. Atque hoc ultimum genus osculandi aliquem, prehensis auribus Veteres vocabant χύτρα vel ollam, fortan ideo, quod in tali osculo & complexu caput instar ollæ & aures instar ansarum essent. Ita enim Pollux: Ollam prehensis osculabor auribus. Clemens Alex. hujus Osculi mysticam rationem reddit, eoque putat significari, quod per auditum sensus amoris generetur, Lib. 1. Strom. E Latinis omnium primus fuit Plautus, qui in Pœnulo, hoc osculi genus ita exprimit. *Sine te exorem, sive te auribus prebendam, sive dem suavium.*

Osculum pavimenti ubi Vestigium Regis.

Osculum apprehensis auribus.

Post exhibita varia Oſculorum genera, Operæ precium eſt videre, quarum rerum Symbola oſcula fuerint. Ubi notandum, quod *Oſcula ſigna imprimis charitatis & amicitiæ fuerint* inter cognatos & amicos ſibi invicem obviam factos, vel peregrè venientes vel ſe invicem compellantes. Ita *Jacob Rahelem amicam ſuam oſculabatur* Gen. XXIX. 11. *Joſeph ſuos Fratres*, qui peregre venerant Gen. XLV. v. 18. Huc pertinet *Oſculum reconciliatorium*, quô diſſidentes, facta reconciliatione depoſitam offenſam teſtabantur. Ita *Eſau oſculabatur Jacobum fratrem*, cum quô in gratiam redierat Gen. XXXIII. v. 4. *Pater filium prodigum redeuntem* Luc. XV. 20. Nec minus ad hoc Amicitiæ Symbolum pertinet, *Oſculum valedictorium*, quod Ebræi vocant *Oſculum ſeparationis*. Ita *Laban* Gen. XXXI. v. 28. queritur, *quod ob clandeſtinum Jacobi diſceſſum filias ſuas ante obitum oſculari non potuiſſet. Naëmi nurus ſuas abiturientes oſculatur* Ruth. I. v. 10. *Presbyteri Epheſini oſculantur Paulum abeuntem* Actor. XX. 37. Primi Chriſtiani, qui ex Ebræis prodierunt, cum crebris oſculis aſſveti eſſent, eadem ſacris publicis intulerunt, tanquam Symbola fraternitatis & teſſeras Chriſtianæ charitatis. Hinc in Primitiva Eccleſia ſub ipſis Apoſtolis mos cœpit, ut antequam Ευχαριστία ſumerent, alter alteri accederet & oſculum figeret, & hoc eſt φίλημα ἅγιον *Oſculum ſanctum* cujus Paulus ad Rom. XVI. v. 16. & alibi meminit. Sanctum dicitur ideo, quod non ſapiat carnales effectus, nec ſvavia venera, ſed Spiritum S. & Chriſtianam chritatem, â quo Petrus idem nominat φίλημα ἀγάπης 1. Petr. V. v. 14. De hoc S. Oſculo ſcribit Clemens Romanus, vel quisquis autor ſit Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 2. c. 11. *Viri ſe invicem & mulieres ſe invicem exoſculentur in Domino, ſed caveant ne quis dolus ſubſit, ſicut oſculo Judæ, quo Dominum prodidit.* De eodem Juſtinus Martyr in Orat. ad Anton. Impera-

Oſcula ſigna Charitatis & Amicitiæ

Oſc. Reconciliatorium.

Valedictorium.

Oſculum Sanctum. Rom. XVI. v. 16. 2. Corinth. XVI. v. 20.

Imperatorem. *Dictis precibus*, inquit, *mutuo Oſculo nos ſalutamus, deinde ſequitur Euchariſtia.* Tertullianus eleganter Oſculum S. vocat *Obſignaculum precum*, quia preces publicæ eodem quaſi obſignabantur. Hodie in noſtris Eccleſiis nullus uſus ſupereſt Oſculi inter ſacra publica, ſed apud Pontificios in locum Oſculi S. ſucceſſit *Oſculum patinæ vel operculi*, quo calix Domini tegitur, quod olim plebs, hodie ſolus Sacerdos eidem imprimit. Porro Oſculum ſæpe eſt *Signum amoris*, ſive caſti ſive libidinoſi. Oſculum caſtum dicitur, quale datur ſponſaliorum cauſa. Hinc Alexander in Novellas ſcribit: Sponſalia per arrham & oſculum conſervari, & quæ oſculum dederat, ſponſam cenſent. Imo ſolo oſculo conjuges putari ſcribit Quintilianus in declamationibus. Impudicum vero oſculum eſt *meretricium* illud Proverb. 7. 13. quod in Veteri Eccleſia pro ipſo oſculo ſancto irrepſiſſe videtur. Hinc Clem. Alex. l. 3. Pædag. conqueritur. Inter Chriſtianos oſcula inceſta venerata & hypocritica inveniri. Et S. Ambroſius in cap. ult. 2. Cor. *Oſcula* ſimpliciter vocat *libidinum indicia.* Huic malo ut occurrerent, pii Veteres in Sacris conſtituerunt, ne viri ac fœminæ oſcula promiſcue darent, ſed viri viris fœminæ fœminis, quod noſſent oſcula communiter ſcortationum præambula; eſſe juxta illud:

Obſignaculum precum.

Oſculum Caſtum.

Meretricium.

Viſus & alloquium tactus, poſt oſcula factum.

Et oſculo pudicitiam virginis tentari, veteres probe norunt. Hinc Ovid.

Oſcula qui ſumſit, ſi non & cætera ſumſit,
Hæc quoque quæ data ſunt, perdere dignus erat.

Apud *Romanos Manlius è ſenatu fuit ejectus, quod præſente filiâ oſculum conjugi dediſſet*, & S. Auguſt. lib. 4. de C. D. c. 1. ſcribit: *Veteres verbere dignum cenſuiſſe, alterius uxori oſculum dare.* Quin & Cardinalis Tarſchus pœnam oſculantis

tis virginem invitam in via publica, ſtatuit Relegationem ad 30. milliaria. Quin & Tiberius Cæſar publico edicto, quotidiana oſcula prohibuit. Neque verò libidinis tantum ſigna, ſed & aliorum criminum tegumenta fuerunt oſcula. Hinc in ſacris legimus. *Oſculum adulatorium*, quale erat Abſolonis, II. Sam. XV. v. 5. *Oſculum Simulatorium*, quale Joab dabat Amaſæ 2. Sam. XX. *Oſculum proditorium*, quale Judas dedit Chriſto. De cætero Oſcula honeſta fuerunt etiam illa, quæ *honoris & obſervantiæ* ergo dabantur. Ita Samuel, cum Davidem Regem unxerat, in ejus oſcula proruit I. Sam. X. v. 1. Hoc Ebræis dicitur Oſculum Dignitatis, vel magnitudinis. Hûc pertinent oſcula: quæ liberi Parentibus, vel diſcipuli ſuis Præceptoribus figunt. Ita *Jacob oſculabatur Patrem Iſaac*, Gen. XXVII. v. 26. *Eliſa præceptorem Eliam* I. Reg. XIX. v. 20. Nec raro *oſcula erant Signa clementiæ Principum.* Ita *Rex David legitur oſculatus Barſillai* 2. Sam. XIX. v. 39. Nec tacendum eſt *oſculum religioſum*, quod in Sacris Deo & inter Ethnicos Idolis, deferri ſolebat, & de religioſo oſculo verba Pſalm 2. *Oſculamini filium*, vulgo exponunt. Denique in Sacris Oſculum eſt *myſticum*, ſolis Chriſtianis cognitum & creditum, per quod magnum illud Pietatis myſterium, Incarnatio Dei exprimitur, de quo Sponſa Cant. Cant. I. 2. *Oſculetur me oſculo oris ſui*, h. e. Veniat tandem Meſſias, & carnem ſibi uniat, nec amplius per Moſen & Prophetas ſed ipſe in perſona mecum loquatur.

AGAPÆ

SIcut in V. T. lauta Convivia Sacrificiis partim â Sacerdotibus Lev. VI. v. 26. partim à Populo, vel offerentibus, ſubjungi ſolebant, ad quæ amici & vicini convocabantur, ita

ita etiam ut in iisdem pauperum, hoſpitum, viduarum & pupillorum non oblivisçerentur. Deut. XII. v. 8. Quæ convivia merito quis ſacras epulas dixerit, quod ſacrorum appendices eſſent, nec niſi in loco ſacro fierent. Ad eundem modum in N. T. primitiva Eccleſia, finitâ Sacrâ Synaxi, publicum convivium inſtituit, quod Græci vocarunt ἀγάπας, h. e. Charitatis, ideo, quod hæ Epulæ eſſent fraternæ inter Chriſtianos charitatis teſſera. In his Agapis divites panem, vinum, pecuniam, aliaque neceſſaria conferre, & pauperes cum divitibus promiſcue comedere, quin & abſentibus ægrotis particulas, quæ κατ' ἐξοχὴν Eleemoſynæ vocabantur, mittebant. Hæc charitativa Convivia, Apoſtolico ævo in uſu fuiſſe, ex Epiſtolis Judæ, Petri & Pauli conſtat. Nam hi tres Apoſtoli omnium primi ἀγάπαις meminerunt, & abuſus in eas invectos graviter reprehenderunt. Ita enim Judas: *Maculæ ſunt in Agapis veſtris cum convivamini ſine ullo metu* (intellige Dei & Eccleſiæ.) Similiter S. Petrus notat, maculas epulantium ἐν ταῖς ἀγάπαις, ubi Vulgatus legit ἐν ταῖς ἀπάταις vel in dolis & fraudibus. Nam Pſeudo-Apoſtoli fraterna hæc convivia in dolos & fraudes, ideoque τὰς ἀγάπας εἰς τὰς ἀπάτας converterunt. Sic & Paulus 1. Cor. II v. 17. Corinthios perſtringit, quod *non teſtandæ charitatis ergo ad ἀγάπας convenirent, ſed odiis, diſſidiis, gulæ & ventri indulgerent, nec pauperes curarent.* Probe igitur Agapæ Chriſtianorum ab Apoſtolis introductæ ab Agapis Hæreticorum, quarum Autores Pſeudo-Apoſtoli ſunt, diſcernendæ. Nam Agapæ Chriſtianorum erant frugales, in ſignum charitatis mutuæ, easque eleganter Tertullianus deſcribit hoc modo: *Nos in Agapis nihil immodeſtiæ committimus, nec prius ad menſam diſcumbimus, quam Oratio ad Deum præguſtetur, edimus quantum eſurimus, bibimus quantum pudicis eſt utile, ita ſaturamur, ut meminerimus etiam per*

noctem adorandum nobis Deum, ita confabulamur, ut sciamus Deum omnia audire in Apolog. cap. 39. Atque hæc Agapæ ex Christianorum collectis vel Oblationibus panis & vini ad altare olim factis, institui solebant. Hinc S. Cyprianus opulentam Viduam reprehendit, quod aliorum oblationibus vescatur, cum ipsa nihil ad Dominicam contulerat. Hæ oblationes apud Veteres non rarò Agapæ vocabantur, quod ex illis hæc Convivia agerentur. Ubi notandum est, Oblationes Veterum habuisse quatuor Usus. Nam (1.) ex his Sacra Eucharistia instituebatur. (2) Clerus sustentabatur. (3) Cerei, Vestes, & reliqua ad fabricam spectantia, procurabantur, & denique (4.) Agapæ vel Sacra Convivia, ad refectionem pauperum institui solebant, quod ipse Christus dixisset: *Si vis agere convivium, voca pauperes, claudos & surdos, & qui paria referre non possunt.* Sed „quod ad Agapas Hæreticorum pertinet, facile cogitari pot„est, qualia fuerint eorum sacra, tales quoque Agapas fuisse. „Habebant Hæretici præsertim *Carpocratiani* & *Gnostici* pu„denda sacra, in quibus promiscuos concubitus exercebant. „Semen Virorum loco Eucharistiæ edebant, & menstrua „mulierum loco sanguinis Domini bibebant, teste Epipha„nio, & cum ad Agapas erat deventum immodico cibo ac „potu ad vomitum usque complebant, & omnia quæ ad „farciendum alvum faciebant, consumebant. Hinc Clem. „Alexandr. lib. 1. Pæd. scribit: Agapas videri amatoria convivia, quæ delicata fercula & juscula redolerent. Tandem etiam Fidelium Agapæ, ad honestum quidem finem ab Apostolis institutæ, nim. ad mutuam Charitatem fovendam, & ad pauperum inopiam, famem, sitimque sublevandam, lapsu temporis in luxum & lasciviam cesserunt. Igitur anno 328. publica autoritate ab Universa Ecclesia sunt proscriptæ,

ſcriptæ, inque eorum locum mos fuit inductus colligendi Eleemoſynas, dum concio haberetur.

FILIOLI.

SOlenne eſt Johanni Apoſtolo Auditores ſuos *Filiolos* vocare, ſed Paulus & reliqui Apoſtoli eosdem *Fratres* appellant. Ratio, Quod Johannes in extrema ſenectute & Evangelium & Epiſtolas ſcriberet, ideoque auditores, quod omnes ſe minores eſſent, *Filiolos ſpirituales* dixit. Sed Paulus ſtatim à converſione ſua valde juvenis, ſcribere cœpit, adeoque auditores ſibi coætaneos dixit *Fratres*. Ita enim ipſe *Paulus Timotheum inſtruit, ut Seniores quaſi Parentes, ſed minores quaſi Fratres tractet.* 1. Tim. V. v. 1. fuit de cætero in primitiva Eccleſia valde frequens, ut Chriſtiani æquales ſe invicem fratres ac ſorores, Seniores à junioribus, Patres & Matres, juniores à ſenioribus, filii & filiæ vocarentur, ut arctiſſimis illis vocibus ſuæ charitatis ardorem exprimerent. Sed gravis hinc nata eſt calumnia. Nam cum apud Ethnicos hæc nomina Frater, Soror ſæpe nequitiæ nomina eſſent, & puellæ ſuos amaſios, cum quibus conſveſcere ſolebant, fratres, & viciſſim juvenes amicas, cum quibus caput collidere ſolebant, Sorores, blande vocarent, traducti ſunt Chriſtiani, quaſi ſpurcæ libidini ſe dederent & inceſtuoſi eſſent. Notetur h. l. tria olim crimina Chriſtianis objecta; quorum (1.) *Impietas* vel *Atheismus*. (2.) *Thyeſta Convivia* (3.) *Oedipodi concubitus*. *Primum* inde fluxit, quod Chriſtiani Deos omnes præter unum ſpernerent, nec ſtatuas Imperatorum, qui in Deorum numerum erant illati, adorarent. *Secundum* videtur natum ex dicto Chriſti Joh. VI. *Niſi ederitis carnem filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Hinc homines malæ linguæ finxerunt, Chriſtianos

filiorum ſuorum carnes comedere, eorumque ſanguinem avidè bibere. *Tertium* creviſſe videtur ex Joh. XIII. v. 34. Ubi Salvator ultimis Tabulis Eccleſiæ charitatem ſanctè commendat, quod charitativum præceptum ſtrenuè urſerunt, Apoſtoli, præſertim Johannes, qui Epiſtolas fere omnes charitati commendandæ impendit, & ut vehementiam amoris ſui oſtenderet, auditores vocat *Filiolos*, quaſi paterna eos στοργῇ complecteretur. Sed cum Ethnici eos omnes, qui Patres & Filiæ, Sorores & Fratres vocabantur invicem nubere viderentur, calumnia hinc nata eſt, Chriſtianos promiſcuam Venerem ſpargere & in proprias filias irruere. Sed de his plura videantur apud Elmenhorſtium ad Octavium Minutii Felicis.

PRESBYTERI.

Jac. V. v. 14.

VErba Apoſtoli ſunt: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros, ut orent ſuper ipſum, ungentes eum oleo, in nomine Domini.* Presbyter vox græca, Seniorem ſignificat & quia Seniores plerumque ſunt ſapientiores & honoratiores, hinc in ſacris literis communiter Presbyteri vocantur *Rectores Eccleſiarum.* Sic ad primum Concilium Act. XV. Apoſtoli vel Presbyteri, vel ii, qui cum Apoſtolis cœtum ſacrorum regebant convenisse dicuntur. Dicis an Senes ſemper fuerunt idonei ad docendum? R. Si quis in primitiva Eccleſia ex Senioribus ad docendum vocaretur, hunc ſæpe viſibiliter Spiritu S. repletum, â quo dona docendi Seniores acceperunt. Dico communiter Senes electos, nam interdum etiam Juvenes, qualis erat Timoth. & Titus, in numerum Presbyterorum ſunt collecti. Sed ut apud Romanos Senatus dicitur à Senibus, licet non omnes Senato-

natores sint cives seniores; sic in Veteri Ecclesia Presbyteri vocabantur, qui Presbyterio erent inscripti, licet ætate non semper Senes essent. Denique & hoc notandum, quod tempore Apostolorum Presbyteri & Episcopi iidem fuerint & Ecclesia Apostolica communi Presbyterorum consilio sit gubernata, teste S. Hieronymi Comment. in Ep. ad Tit. Nihilominus sicut Judæi in Synagogis habebant ἀρχισυνάγωγον, sic & in primitiva Ecclesia inter presbyteros unus fuit præcipuus, qui collegas convocaret, negotia Sacra proponeret, ut vota colligeret. Sed & hic Presbyteriatus non diu post Apostolos, cum varia Schismata orirentur, regimen Ecclesiæ, quod antea toti Presbyterio erat commune, ad unum fuit devolutum, & hic Episcopus dictus, fuitque à Presbyteris distinctus, ut proinde tota Ecclesiæ Hierarchia ex Schismatibus sit orta, perinde ut ex malis moribus bonæ leges oriuntur. Fuit autem hæc Distinctio inter Episcopum & Presbyteros, quod hi solum docerent verbum Dei & administrarent Sacramenta, Episcopus præterea ordinaret Presbyteros, & Ecclesiam gubernaret.

EXTREMA UNCTIO.

JAcobus Ep. V. Unctionis infirmorum meminit, unde Pontificii hodie Sacramentum proprie sic dictum constituunt. Fuit autem Unctio ægrotorum Apostolico ævo, ceremonia ad donum sanandi, adeoque ad miracula spectans. Hinc Marc. VI. v. 13. *Apostoli dicuntur oleo multos ægrotos unxisse & sanasse*, quæ unctio Apostolica, cum benè cesserat, Jacobus vult eundem ad sanitatem consequendam apud ægrotos retineri. Itaque infirmis duo remedia commendat. Alterum *orationis*, quo animæ prospicere & remissionis peccatorum obtinere possint, alterum *Unctionis*,

qua corpori consulant, si fortè Dei gratia per miraculum convalescant. Unde constat, quod cessantibus in Ecclesia miraculis, etiam mos ungendi ægrotos ipso jure cesserit. Placuit nihilominus Ecclesiæ in honorem Apostolorum, qui hunc ritum invexerant, & in memoriam mysticæ nostræ Unctionis, à qua omnes *Christiani*, h. e. *Uncti* dicimur morem ungendi retinere, licet omni effectu supernaturali destitutum. Primus autem fuit ineunte Seculo V. Innoc. qui hunc morem, Sacramenti genus dixit. Sed Innocentio dicitur Sacramentum quodvis rei sacræ signum, quo sensu innumera sunt Sacramenta. Primus à Sec. XI. fuit Eugenius IV, qui in Concilio Florent. extremam Unct. inter Sacramenta proprie sic dicta recensuit. Græci quoque in hunc usque diem ægrotos ungunt, idque vocant ευχέλαιον, h. e. Oleum precationis, non etremam Unct. quia non exspectant donec ægrotus ad extrema pervenerit. Plura de hoc ritu videri potest in nostra Veteris Ecclesiæ arte moriendi, cap. ult.

Hæc de Sacris Antiquit. ex Universo Codice Bibliorum V. & N. T. collectis, dixisse sufficiat, quibus expeditis sit

SOLI DEO GLORIA.

IN-

INDEX.

Summa & Series Materiarum.

LIB. I.

De Antiquitatibus in V. T. repertis.

Proœmium, de Diviſione Scripturæ Sacræ. 1

SECTIO. I.

Antiquitatum S. ex Pentateucho.

4 *Pacta*
10 *Abrech*
15 *Saphnath Paeneah*
15 *Paſtores in Ægypto abominabiles*
17 *Siclus*
19 *De feſtis Judæorum*
20 *Sabbathum*
26 *Neomenia*
28 *Paſcha*
33 *Pentecoſte*
35 *Feſtum Tubarum*
36 *Feſtum Expiationis*
39 *Feſtum Tabernaculorum*
40 *Feſtum Concionis*
41 *Sabbathum Anni ſeptimi*
42 *Jubilæus*
43 *Feſta Reliqua*
46 *Sacrificia Hebræorum*
49 *Mincha*
50 *Tecta Orientalium*
53 *Urim & Thummim*

SECTIO II.

Antiqq. Sacr. ex Prophetis.

56 *Cauponiſſæ*
58 *Currus falcati*
59 *Simſonis Griphus*
61 *Simſon in Mola*
63 *Veterum Unctiones & Lotiones*
64 *Miplezeth*
66 *Moloch in Gehenna*
68 *Currus ſolis*
70 *Coccinum & Cocci Vermiculus*
72 *Semen Schichor*
73 *Tyrus coronata*
75 *De placentis Melechet oblatis*
77 *De fleta ſuper Tammutz*
79 *Adulteria uberum*
81 *Umbraculum Jonæ*

SECTIO III.

Antiquitatum Biblicarum ex Hagiographis.

De Veterum Caltis & stylis 82
Acupictores 86
Fera Arundinis 87
Acervus Mercurii 89
Servi Literati 90
Tonsura Veterum 91
Salutatio Regum 93
Sal fœderis 94
Satrape Persarum 95
Eunuchi 96
Varii Persarum Mores 98

SECTIO IV.
Antiqq. Sacr. ex Libris Ecclesiasticis.

Elevatio Infantum de terra 100
Funebria Convivia 102
De Veterum Armis 105
Symbola Deditionum 107
Chasidæi ibid.
Virgines Conclusæ 109

LIB. II.
Variarum Antiquitatum præsertim Ecclesiasticarum ex N.T.

SECTIO I.
Ex IV. Evangelistis.

Pharisæi 111
Sadducæi 115, *Carai* 116, *Essæi* 117
Scribæ Civiles 119
Scribæ Sacri 120
Publicani 122
Mel & Locusta 124
Sicera 125
Vestes & pilis Camelorum 126
Circumcisio Christi, Johannis, aliorum 128
Verbum Caro 130
Antiqq. Natales 131
Magi 132
Stella Magorum 135
Judicia Judæorum 136
Synedria 138
Corban 139
Beelzebub 141
Tibiæ funebres 144
Historia Crucifixionis 146
Accubitus ad mensam 151
Architriclinus 154
Supplicia Judæorum 155
Sepulchra Judæorum 156
Sepulchrum Christi 157
Proselyti 157
Remphan 160
Νεωκόρος 161

SECTIO II.
Antiqq. N. T. ex Epistolis.

Anathema Veterum 162
Idolothyta 165
Triumphus 168
Osculum sanctum 170
Apage 176
Filioli 179
Presbyteri 180
Extrema unctio 181

SLUB Wir führen Wissen. http://digital.slub-dresden.de/id398298017/194 gefördert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft DFG

INDEX ALPHABETICUS RERVM PRÆCIPVARVM.

A.

Abrech, quid sit? Pag. 10
Abyssinorum circumcisio 128
Accumbendi mos Veterum 151
Acupingere 86
Adam Halberstadiensis 163
Adorationis (1.) *ritus* 12
(2.) *Etymon* 13
Adulteria uberum 79
Ægyptii Geometræ excellentes 73
superstitiosissimi 15
Ænigma Simsonis 59
Afflictio animæ 38
Agapæ 176
suarum finis 178
Agnus Paschalis immaculatus 29
Ejusd. ritualis comestio 30
Aliptæ 63
Allocutiones Apostolorum 179
Ἀνάθεμα 162
Ἀνάθημα 164
Anni Ebræorum lunares 27
Anni dimissionis sive Sabbathici 21. & 41
rationes duæ 42
Anni Jubilæi (1.) *ritus* 42
(2.) *Etymon* 43
(3.) *ratio* 43
Apocryphi libri 3
Appendix sacrificiorum 49
Architriclinus 154
Arma veterum 105
Asasel, hircus 37
Azymitæ 31
Azymorum septiduum 30

B.

Bachanalia Judæorum 40. & 78
Beelzebub 141
Bibendi modus 60
Bos, Ægyptiorum Deus 16

C.

Cacabus 49
Cælte 82
Chasidæi 108

Christiani, uncti 182
Calix Dæmoniorum 166
Capræ Orientales 79
Caphanim, placentulæ 77
Caræi 116
Carbasus 84
Carceris Etymon 62
Carpocratianorum agapæ 178
Cella quadrilapidis 120
Ceremoniæ circa pacta Veterum 6,79
pactum Mosaicum 7,8
Cidaris 99
Circumcisionis 128
ritus 129
Coccinum, Cocci vermiculus 70
Cœna triplex in ultimo Christi Paschate 30
Cœna cur Jovis non Veneris die comesta? 31
Collectionis festum 41
Conceptiva festa 43. 201
Concionis festum 40
Convivarum mores apud Vet. 59
Convivia charitativa 177
Convivia funebria 102
Corban 139
Crucifigendorum nudatio 149
Crucifixio 146
Currus Eliæ 59
Currus falcati, ferrei 58
Currus solis 68

D.

Dedicationes templi 45
Deditionum symbola 107
Deocratia 34
Derivationes ingeniosæ Patrum 29
Desertum 127
Detectio capitis 13
Detonsio capitis 92
Diei vespera duplex 30
Dii Ethnicorum Salvatores dicti 13
Dissecare fœdus 7
Diversoria veterum 57
Divisio V. T. 1

E.

Ecclesiastici libri 3
Eleemosinæ κατ' ἐξοχήν 177
Elevatio hostiæ Papicularum 49
Encoenia 45
Enzymitæ 31
Episcopus 181
Epocha Judæorum 43
Epulæ sacræ 177
Erlaßjahr 41
Essæi 117
Eucharistiæ 165
in pane Azymo institutio 31

Eunu-

Eunuchus triplex 96
Expiationis festum 36

F.

Falcati currus 58
Fegra arundinis 88
Festum Concionis 40
Festum Encoeniorum 45
Festum Expiationis 36
Hebdomadum 33
Festa Judæorum (1.) *Conceptiva* 20. & 43
(2.) *Stativa* 19
Festa Jejuniorum 43
Festum Luminum 46
Mardochaicum 45
Messis 34
Novilunii 26
Paschatis 28
Pentecostes 33
Primitiarum 34
Purium 44
Tabernaculorum 39
Tubarum 35
Ξυλοφορίας 45
Flagellatio Judæorum 147
Fluvius Schichor, Nilus 72
Funera Ethnicorum 146
Funera Judæorum 145
Furca, supplicium, 150

G.

Gehinnom 67
Genuflexionis cultus
(1.) *civilis Ægyptiorum*
(2.) *divinus Persarum* 12
Gnosticorum agapæ 178
Godolius 44
Græcorum unctio 182

H.

Hamanis sortilegium 44
Haphtharæ 23
Hierarchia Eccl. unde orta 181
Hircus dimissorius 37
de eo traditio 37
est typus Christi 48
Hosianna 40

I.

Idola Germanorum 69
Idololatria Israëlitarum prima 16
Idololatria matris Jeroboæt 66
Idolothyta 167
Idolum Achor 143
Baal Peor 65, 42
Miplezeth 64
Moloch 66
Pagodes 67
Idolum Remphan 160
Saturnus 66

Sol 70. & 75
Tamutz 77
Jejunia Christianorum 44
Esther 44
fractæ legis 44
Godoliæ 44
Judæorum 43
Igne & aqua interdicere 107
Infantes deponebantur 100
elevabantur 101
Intercalaris mensis 27
Johannis Baptistæ amictus 126
victus 124. & 125
habitaculum 127
Jojakim est autor festi Purim & libri Esther 45
Jonæ umbraculum 81
Italorum fœminæ 80
Iter Sabbathi 23
Jubilæi ritus & ratio 42
Jubilæus annus 20
Judicia Judæorum 136
Jurandi modus Pharisæorum 113

K.

Kolochinthis 82

L.

Lagana 49
Lapis Mercurii 89
Lex triplex 7
Libri V.T. Apocr. & Eccles. 3
Litania Ebræorum 39
Lotiones Veterum 63
Luctus Judæorum 145
Lugentes Orientales 51

M.

Magorum (1.) *iter* 133
(2.) *numerus* 134
(3) *patria* 134
(4.) *professio* 132
(5.) *sepulchrum* 135
(6. *stella* 135
Melechet, quid? 75
Mensis intercalaris 27
Mercurius, index viæ 89
Minchæ requisita & species 49
Miplezeth 64
Molere, quid in S.S. 61
Moloch in Gehenna 66
Moneta Judæorum optima 17
Mons Sinai 7
Moses discernitur â reliq. Proph. 1
Moscholatria 16

N.

Natalitia Christi 131
Νεωκοιος 161
Novilunium 26

O.Ob-

O.

Oblationes Veterum 178
Obsignatio literarum 99
Origenes castratus 97
Orientales Sabbathini 24
Oscula varia 175
Osculandi modus Veterum 170
Osculum sanctum 174
Ostracismus 84

P.

Pacta Dei cum hominibus 4
Pactorum Divisiones variæ 5, 9
Pactorum Dei signa 5
Pactorum ineundorum mores Vet. 6.
Pandochæa infamia 57
Panes Propositionis 34
Parasanga 98
Paraschæ 23
Parthemim 96
Pascha 28
Pascha quidam derivant
à פסח 28
à πάσχειν 29
Pascha vocant ὑπέρβασιν 28
σωτήσιμον 28
Paschatitæ 32
Pastores Ægyptiorum abominabiles 15
Patrum ingeniosæ derivationes 28
hujus rei exempla 29
Pecunia olim ponderata 17
Pentecostes V. T. typus Pent. N. T. 33
Pergamentum 85
Peribolum 50
Perforatio auris 90
Persarum mores 98
Pharisæi amoris & timoris 114
Pharisæorum Etymon 111
Origo & Dogmata 112
mores & jurationes 113
virtutes & vitia 114
superstitiones 115
Pinnaculum templi 52
Pontifex in Sancto Sanctorum 37
Presbyteri 180
Primitiæ frugum 34
Primogenitorum prærogativæ 8
Profanatores Sabbathi 23
Prophetarum divisio 2
vestitus 127
Proselyti 157
portæ & justitiæ 159
Publicanus 122

Q.

Quarta decimani 32
Quies Dei 20

R.

Raccha 136
Rahab, an scortum? 57
Rectores Ecclesiarum 180
Regem salutandi modus Vet. 10
Regula Theol. de pacto 5
Remedia infirmorum 181

S.

Sabbatharii 26
Sabbathum, hujus Etymon 20
Animi 22
Æternum 22
idem ac hebdomas 21
secundo primum 21
Sabbathicus annus 21
Sabbathi profanatio 23
sanctificatio 23
iter 23
superstitiones 24
translatio in Solis diem 25
Sacramentum latè 182
Sacrificium agitationis 50
elevationis 49
ciborum 49
expiatorium 48
holocaustum 46
pacificum 47
Sadducæi, horum Descriptio 115
Dogmata 116
Salaria 95
Sal fœderis 49, 94
Salutationes Regum 93
Salvatores dicuntur Viri optimi 13
Sanctum Sanctorum 37
Sarra 74
Sartago 49
Satrapæ Persarum 96
Saturnus Ebræorum Moloch 66
Schisma de diversis Pasch. diebus 32
Scribæ civiles 119
sacri 120
Scriptio Veterum 83
Semen Schichor 72
Senes primitivæ Eccl. 180
Septiduum azymorum 30
Sepulchra Iudæorum 156
Servus literatus 90
Sicera 125
Siclus sacer & profanus 17
Sicli effigies 18
Sicli gemini figmentum 18
Sicli sacri geminus sensus 18
Sinus Abrahæ 102
Sol, gentium Deus 68
Solarium 51
Solennitates in pacto Mos. 7

Veterum

Veterum circa pacta 9
Spiritus S. appellatur scriba - 122
Stella Magorum 135
Strangulatio apud Iudæos 155
Stylus 83
Supplicia Iudæorum 150,155
Synedrium 121.137

T.

Tamutz, idolum 77
Tecta Orientalium 50
Tectorum Orient. varius usus 52
Tessares 32
Testamentum dicitur Pactum 4
Teuto Germanorum Deus 69
Thalisia 41
Tibicines funebres 145
Traditiones Iudæorum
de hirco Asasel 37
de Moloch 66
de Purim 44
Triumphi Romanorum ad Triumphum Christi applicatio 168
Turcæ unguentis ditissimi 63
Turcarum fœminæ 81
Tyrus coronata 73

U.

Uberum duplex sensus 79
Vectigal 123
Verbum Caro 130
Vermiculus cocci 71
V. T. Divisio 1
Vespera diei duplex 30
solis item luminis 29
Virgines Orientales 80
conclusæ 109
manifestatæ 111
Umbraculum Ionæ 81
Unctio extrema 181
mystica *ibid.*
Unctiones Veterum 63
Urim & Thumim 53,56

Ξ.

Ξυλοφορία 45

Z.

Zor, quid? 73

FINIS.

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id398298017/202
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

Antiqu. Fol. 102.

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id398298017/203
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG

SLUB
Wir führen Wissen.
http://digital.slub-dresden.de/id398298017/204
gefördert von der
Deutschen Forschungsgemeinschaft
DFG